STEPH
RODERICI
OPUSCULA

1656

XIII 3.

77
1
13

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

CASTRO, E.R. de

65173/A

XIV

STEPHANI RODERICI

Caſtrenſis Luſitani

OPVSCVLA DVO,

Videlicet

Variæ Exercitationes Medicæ,

E T

Expoſitiones in Aliquos Ægrotos

HIPPOCRATIS.

VARIÆ EXERCITATIONES MEDICÆ

(Paucæ ſed valdè Doctæ) priuatæ lectiones,

STEPHANI RODERICI Caſtrenſis Luſitani,

OLIM SERENISSIMI MAGNI DVCIS ÆTRVRIÆ Sanitatis Conſiliarij, & in Piſana Academia Medicinam, ſupra ordinario loco Docentis.

His acceſſerunt in hac ſecunda editione Expoſitiones in aliquos Hippocratis Aegrotos admodum practicabiles.

AD CLARISSIMVM, ET EXCELLENTISSIMVM Virum Michaelem Angelum Rota Medicum, & Philoſophum, Ciuem Venetum.

SVPERIORVM PERMISSV.

VENETIIS, M. DC. LVI.

Apud Franciſcum Brogiollum.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

PERILLVSTRI,

ET EXCELLENTISSIMO

D. Michaeli Angelo Rotæ Doctori Eximio, Patrono ſuo Colendiſs.

Longæ artis elucubratum opus, vt cum medicorum Principe loquar, vitæ breuis iactura pœne ſub frigidis Patris mei cineribus humatum odiſse lucem crederetur, niſi mearum partium eſſe duxiſſem ipſius editione, Paternis non tam conſulere vigilijs, quàm & Publicæ vtilitatis commodo inſeruire. Prodit autem vir Excellen-

tiſsime tui nominis patrocinio inſignitum, vt ſpiritum, quem Stephanus Rodericus de Caſtro Pater meus huic fætui decumbens abſtulerat, ipſum denuo à ſumma Virtutis tuæ auctoritate recipiat, confugit ſiquidem vitæ beneficia flagitaturum ad te, qui artis medicæ munere, fugientes ægrorum ſpiritus ſæpè ſoles ad vitæ miniſteria reuocare, & velut Poſthumum in Patris & auctoris defectum te prepollentem implorat Tutorem. Equius enim non poterat cuippiam de arte medica liber offerri, quàm tibi, qui ceu Numen inter huiuſce doctrinæ Profeſſores fulgentiſſimum Venetijs non tantum, vnde virtutis tuæ iubar maximè eniteſcit, ſed & vbiq; terrarum omnium ore celebraris. Libens igitur tuo dicatum nomini

mini

mini opus amplectere, foue, faueq́ be-nignus, nam quantum dignitatis ex Patrocinij tui titulo ipſi conciliabitur, talis tantique rei meritum me non mi-nus in perpetua erga te officia deuin-cietur, dum non ſolummodo hos Pa-tris labores, ſed & obſequentes animi mei affectus in virtutis obſequium of-fero & exhibeo Auctoris filius, & Tibi vir Excellentiſsime.

Addictiſsimus

Franciſcus Caſtrenſis, &c.

CAN-

CANDIDO LECTORI.

TIBI metipſi gratulare, Amice Lector, Teſaurum inueniſti, auro eo pretioſiorem, quo ſapientia Diuitijs preſtat. Opes Philoſophia, Veritas cuncta, ad quæ cæca Mortalium obſtupeſcit Ambitio, antecellit; quantò altius acumine ingenij effodies, ditior euades: Opus hoc decies repetitum placebit, quod nec Temporis ira, nec vetuſtas edax vnquam abolebit, Stephani de Caſtro Philoſophi, ac Medici præclariſſimi par-

tus

tus ingenij, & labor eſt; cuius Nomen in Cęlo litterario veluti Sydus primę magnitudinis micat inter omnes, velut inter ignes Luna Minores: Cuius libros Docti Nocturna manu, atq; Diurna verſant; Imago inter alios ſapientiæ proceres in Muſæo Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ ad viuum expreſſa ſuſpicitur. Merito igitur tanti viri lucubrationes Clariſſimo viro inſcribuntur, quæ aliqua ex parte luces prius quaſi per rimas aſpexere: ſi Vacat Audi quomodo. Vir ingenioſus, & eruditus eas Nactus, Captusq; earum pulchritudine, & ſapore mirificè legendo recreatus, his condidit ſui ingenij opuſcula, imò verius miſcuit, & ex illis aliqua in Hetruſcum Idioma conuertit; Sanè prudenter: Pulchrum, & bonum omnibus arrident: Candidè

illſe

ille egit, nos candidè referimus; frue-re lector, non experiendo ; quod omen Deus auertat, ſed legendo, ac dicendo lætus hos morbos tibi neque obeſſe, neque adeſſe: Vale



INDEX

INDEX EXERCITATIONVM

Quæ in hoc opere continentur.

1. *EXercitatio de liuore.* c.1
2. *Exercitatio de reſpiratione magna, & rara.* 8
3. *Exercitatio de paribus inuaſionum diebus.* 11
4. *Exercitatio de humore ſyncero.* 14
5. *Exercitatio de ſpumoſa deiectione.* 22
6. *Exercitatio de curatione febris cum alui fluxu.* 24
7. *Exercitatio de ſyntexi.* 29
8. *Exercitatio de teneſmo.* 42
9. *Exercitatio de inflammatione, & eryſipelate.* 44
10. *Exercitatio de paraphrenitide, & conſenſu diaphragmatis.* 50
11. *Exercitatio de phrenitide.* 58
12. *Exercitatio de rigore.* 65
13. *Exercitatio de dolore capitis in febribus.* 76
14. *Exercitatio de vrinarum rubore.* 82
15. *Exercitatio de vrina nigra.* 87
16. *Exercitatio de atrabile.* 92
17. *Exercitatio de recidiua.* 108
18. *Exercitatio de Conuulſione.* 120
19. *Exercitatio cur ægrotantes interdum propè mortem melius habere videantur.* 155
20. *Exercitatio de die vigeſimo.* 157

Exer-

21. *Exercitatio de partu laborioſo.* 165
22. *Exercitatio an computatio in puerperis febre laborantibus, debeat fieri à die partus an à die febris.* 174
23. *Exercitatio de tempore lochijs expurgandis deſtinato.* 180
24. *Exercitatio de curatione coacta.* 189
25. *Exercitatio de potu frigidæ in febribus.* 196
26. *Exercitatio de morbis ex nimio vini potu.* 204
27. *Exercitatio de recta exercitij norma.* 208
28. *Exercitatio an natura ſit morborum medicatrix.* 209
29. *Exercitatio Vtrum medicus ſit imitator naturæ.* 215
30. *Exercitatio de fluxu ſanguinis è naribus in febribus.* 222

FINIS.

VARIÆ

VARIÆ EXERCITATIONES MEDICÆ.

AVTHORE STEPHANO Roderico Caſtrenſe Luſitano.

Exercitatio de liuore.

COlor, qui Græcis πελιδνός, Latinis liuidus, vulgò plumbeus ſolet appellari, multifariam fieri, & ſubinde multa etiam poteſt ſignificare. Si hunc colorem in lacte conſideratis, laudabilis eſt, dicente Ariſtotele *lac liuorem trahens commodiùs eſſe, quàm id quod exquiſitè album eſt*, quod tamen in ſemine Galenus negat. Sed tamen in lacte & ſemine diuerſa eſt ratio: vtrobique enim agens, paſſum ſibi aſſimilat; quandoquidem enim teſtes & vaſa ſeminaria exquiſitè alba ſunt, exquiſitè album ſemen conficiunt, at mamillarum glandulæ in liuorem vergentes, aliquantulum liuidum colorem lacti, quod conficiunt, imprimunt.

3.Hiſt. animal. c.21.

Gal.1.prog.vlt.

In alui excrementis paruam atram bilem

G.2.prog. 22. à liuore indicari voluit Galenus, qui, ait, *nigram deiectionem ab atrabile ſyncera tingi, liuidam verò, vbi modica modicè permiſcetur*; ſibi tamen contrarius mihi videtur: quippe alibi *liuidum quoddam in excremento apparens, vbi non fuerit tale aliquid intus aſſumptum, partium internarum validum frigus, ac veluti mortificationem indicare*, ait. G.1. criſ. c. 11. Omitto quòd pauca atrabilis permixta, non liuidum efficiet colorem in excrementis, ſed eum qui φαιός ſiue ὑπόμελας aut μελασμός, hoc, eſt fuſcus vel ſubniger appellatur. Nec recipio illorum ſententiam, qui dicunt liuidum colorem poſſe etiam fieri expulſione humoris melancholici ad partes corporis extimas; verumtamen, quia humor iſte mole exiguus eſt, non poterit morbum per abſceſſum iudicare. Non, inquam, iſtam ſententiam recipio, quia paruus humor melancholicus vel æqualiter funditur, vel inæqualiter; ſi inæqualiter, vbi maior copia aceruabitur, nigror aderit; ſi æqualiter, colorem efficiet ſubnigrum, non liuidum. Poteſt quidem ſuccus albus, vt eſt pituita illa, quam Praxagoras vitream appellauit, vel crudus humor, (qui cum de genere ſit pituitæ, minùs tamen humidi, quàm pituita habet) poterunt inquàm iſta ob eximiam frigiditatem liueſcere, & hoc Galeno admitto, ceterùm non ob mixtionem atri ſucci. An verò quæ ſuppurantur liueſcant, ſi ab

G.4. ſanit. tuend. c.4.

atro

atro humore fiant, Galenus in commentario de fracturis admittit; at tunc liuidus color diceretur à calore contractus, quippe ſuppuratio a calore fit naturali, & præternaturā, ſimul mixtis. Præterea in hoc caſu bonum eſſet ſignum: ſiquidem abſceſſus ex atro humore, aut non ſuppurant, aut difficulter ſaltem ſuppurant, qui, ſi ſuppurent, ad bonum tendunt, maximum enim ſignum vlceri ad ſecuritatem pus eſſe, dixit Galenus. Gal. 2. de frat. comm. 32.

Et quoniam liuorem non prauum perquirimus, in medium adducere oportet ſugillata, quæ Galenus pelidna vocat, ea fiunt ſanguine è venis effuſo, nunc per tunicas contuſas, nunc vero in finibus reſeratas, exiguum malum, & quod facilibus remedijs curatur. verò noctu ambulans percutiebatur, & remedium familiare habebat, quo ſugillata ſtatim ſanabat. *Qui exercentur, aut per fotus calefiunt, ſi vires mediocres & bonum ſanguinem habeant* (inquit Galen. in epidemijs) *rubicundi fiunt, ſi verò debiliores ſint, & vitioſis humoribus repleti, euadunt liuidi*. Prauum humorem liuido colore ſignificari author eſt idem in prognoſticis. Nihilominus in omnibus his caſibus liuor per ναυσίοσιν fit, diffuſione ſcilicet ſanguinis, vt plurimum ſubtilioris, nam craſſior ad nigredinem ſtatim accedit; in neruis verò ſemper fit per νέκρωσιν hoc eſt mortificationem; neque enim ſubſtantia nerui diffuſio- G.5.aph. 22. G. de tum præternat. c.4. G.6. Epid. ſectio.3. & comm. 33. Gal.3. progn.

fuſionem ſuſcipit, ſed extinctionem caloris viuifici, quem à corde accipit.

Quando autem in morbis acutis color liuidus in extremitatibus apparet, per νέκρωσιν, mortificationem, ſcilicet fieri dicitur, & non ſolum mortem, ſed iam iam inſtantem mortem ſignificare, ait Hippocrates in prognoſticis, & author coacarum paſſim: Adeò prauus eſt, vt in malitia nigro præferatur, dicente Hippocrate *ſi verò digiti ac pedes omninò nigreſcant, minus pernicioſi ſunt, quàm ſi liueant*. At Cur liuor nigrore deterior eſt, ſi liuor ad nigrorem eſt via? Reſpondent communiter interpretes, liuorem ſolius frigiditatis eſſe ſobolem, quod ex Galeno accipiunt, nigrorē verò & a frigiditate poſſe ortum ducere, & ab humoris decubitu; ſi à frigiditate, non negaret Hippocrates, nigrorem deteriorem liuore eſſe; ſed quoniam liuidus color ſemper eſt à praua cauſa, nempe à frigiditate, niger autem aliquando ab hac, aliquando ab humoris decubitu, qui poteſt eſſe vtilis, ſi reliqua conſentiant, quæ ibi conſideranda proponit Hippocrates, præcipuè facilem tolerantiam, tunc bona criſis erit, ita vt æger ſit cōualiturus: quæ verò nigra facta ſunt è corpore caſura; Itaque, proderit abſceſſus iſte in pedibus, tum quia materia non occupans ſolum digitos aut vngues, ſed totos pedes, tanta erit, quæ liberare ægrum poſſit, alioquin

Hip.2.prog.8. & 9.

G.1. criſ.c. 12.

H.2.progn. 9.

alioquin erit decretorium non decernens, quod ab Hippocrate damnatur, tum quia ad pedes, hoc eſt, ad partem longinquam defluxa fuerit: idem namq; ſcriptũ reliquit, optimum abſceſſum infernè fieri debere & longiſſimè infra ventrem, & remotiſſimè à loco affecto. Adiecit, partem in quã humor ater decubuit caſuram, quia pars illa emortua eſt, nõ poteſt autem mortuũ viuo coherere. Aphrodiſæus caſum iſtum extremorum, quæ in ſummis frigoribus liuent, & tandem nigreſcunt ac decidunt, comparat caſui foliorum in hyeme, vtrobiq; enim calor abijt, & omnino humor deficit, quare exſiccata prorſus pars non poteſt retineri, quippe deeſt illi humiditas, quę agglutinationi inſeruit; fitque ſuperficies intermedia inter partem viuentem, & mortuam. Vnum eſt contrarium inter folia, & membra, quod folia mouentur, aut percuſſa, aut agitata à vento, ac proinde decidunt; In corpore mouetur pars viuens, & cum è mortua non poſſit ſimul moueri, neceſſario ſeparatur, quod ſi non decidat, ſecanda eſt diligenti opera chyrurgi, ne pars ſyncera trahatur. Nam vt Auicenna ait, *ab ægritudine interficiente acuta rarò fit euaſio abſque contractione membri*. Simile quidpiam dicitur ab Hippocrate videlicet, *abſceſſu in cruribus erumpente, liberari hominem à pulmonia vehementi, & periculoſa, articulum tamen in quem*

H.2.epid. ſect.1.

Ibid.

Alex.Aphr. ſec.1.prob. 43.

Auic. 1. 4. tract. 2.c.1.

Hip.2. preg.7.

fluxio decumbit claudicare, vel multum negotij imminere. Ratio huius rei eſt, quia periculoſus morbus à prauo humore fit, hic autem non poteſt non partem in quam decumbit praué afficere.

Præfatam expoſitionem non damno, aliam tamen afferre non piget. Niger color, vel fit à frigore mortificante, & tunc fit præcedente liuido, vel à calore adurente, & præcedit viridis. Quando Hippocrates ait, deteriorem eſſe liuidum nigro, non intelligit de nigro, qui fit à frigore, eſſet enim error intolerabilis dicere, malum in ſuo termino minùs graue eſſe, quàm in medio; Intelligit ergo de nigro facto per aduſtionem, color niger per aduſtionem factus, etiam ſi in parte, in qua eſt, extinctum habet calorem, nihilominus ratione ſigni, ſignificat incendium. At liuidus color, qui fit à frigiditate, & extinctione caloris ob prauitatem humoris, ſignificat ab eodem humore, ſpiritus interiùs eſſe extinctos; quare totius corporis grauitatem ſecum affert, hoc eſt, virtutis impotentiam ob deperditionem ſpirituoſæ ſubſtantiæ.

Hæc autem ſpirituum extinctio eſt, ob quam liuidus color contrahitur; ſiquidem color floridus, & ſplendor ſanguinis à ſpiritibus accidit, rubeus autem color ſanguinis, extinctione caloris liueſcit, & tandem in nigredinem terminatur. Quod autem per extinctio-

nem

nem caloris liuidus color adueniat, ex eo conſtat, quia pars liuida frigida ſimul eſt, immo ante liuorem frigiditas adeſt quaſi per abſentiam caloris, qui in ſpiritibus conſiſtit, vnde pars frigefacta priùs, poſtmodum liueſcit.

Dixi ſimul cum liuore grauitatem, hoc eſt impotentiam ſentiri, quoniam liuor in extremitatibus apparens iam priùs interna ferè emortua relinquit. Emoriuntur tamen priùs externæ, tum quia longè magis abſunt à fonte caloris, hoc eſt à corde, tum quia facultas interiùs potentior eſt, & magis apta ad reſiſtendum, quæ nihilominus, non valdè poſt, etiam concidit. Conſpicitur autem liuidus iſte color magis in vnguibus quia diaphani ſunt veluti vitrum, ac proinde colores ſubtus exiſtentes repreſentant; ita etiam in ſanis optimo ſanguine perfuſi rubedinem repreſentant. Præterea, cum, authore Galeno, in radicem ipſorum, non modo neruus, ſed etiam arteria, venaque inſeratur; vnde ex eiuſdem ſententia, *vitam alimentum ſenſumque recipiunt*, fit vt firmiter non tantum cordis, ſed & iecoris, & cerebri affectiones oſtendant.

H.2.progn. 8.

Gal. 2. de anatom. ad min.

Manifeſtè ergo conſtare arbitror cur liuiditas cum extremorum frigiditate adueniens, νέκρωσις ſeu morticinium quoddam cenſeatur; Intelligite tamen dummodo non ſit a cauſa manifeſta; manifeſtam cauſam appello, tum eam, quæ externa eſt, vt ambientis nimia frigi-

ditas, tum etiam acceſſionis principium, in quo liueſcunt vngues, propter frigiditatem, qui recaleſcunt poſtea. Liuor igitur in acutis fit, partibus frigeſcentibus, non recaleſcentibus.

Exercitatio de reſpiratione magna & rara.

G. 1. prorr. ſection. 1. comm. 4.

Reſpiratio magna, & rara, authore Galeno in prorrheticis, delirij ſignum inſeparabile cenſetur. Intelligite tamen ita eſſe inſeparabile ſignum delirij, vt non è conuerſo delirium ſit inſeparabile ab hac reſpiratione, quod idemmet Galenus annotauit. Non poteſt, inquam, in febre acuta reſpiratio magna, & rara reperiri, quæ delirium non ſignificet; poteſt tamen delirium eſſe ſine magna, & rara reſpiratione, vt ſi concurrant potentiores cauſæ, quæ eandem crebram efficiant. Dolor, e.g. ex inflammatione in partibus, quæ ſunt in ſepto tranſuerſo, aut iuxta ipſum, frequentem, & paruam efficit, delirium, magnam, & raram, ſi vtraque cauſa coniungatur, & delirium vincat, reſpiratio ad magnitudinem, & raritatem inclinabit, vbi autem ſuperet dolor ad paruitatem, & frequentiam tendet; cum vero medio modo ſe habent, aliquando in hanc, aliquando in illam recurret differentiam, vt accidit Dealcis vxori, quæ ſpiritum habuit magnum, & rarum,

G. 2. differ. reſ. 7. c. 4. c. 5.

ac

ac ruſus facta fuit breuiſpira.

Magnam in delirantibus reſpirationem intelligite,quæ verè magna eſt. Galenus vos admonet, ne in hoc decipiamini putantes, eam reſpirationem, quæ ob virium imbecillitatem omnibus agentibus muſculis efficitur, eandem eſſe cum magna. Hanc non magnam, ſed meteoram, hoc eſt, ſublimem appellat, quæ ſublimioribus etiam thoracis partibus peragitur. Eſt quædam reſpiratio, in qua ſine obſtructione, ſine anguſtia, ſine virium imbecillitate, multum aëris attrahitur; hæc propriè magna appellatur; cum verò Hippocrates in prognoſticis ait *ſpiritum magnum, & ex longis interuallis, delirium ſignificare*, magnum dicit,hoc eſt multum. Hæc magna reſpiratio dupliciter fieri poteſt, vel ſine ſuperiorum muſculorum actione, vel ipſis quoque concurrentibus; nam plerumque intercoſtales muſculi, vna cum ſepto tranſuerſo ad multam thoracis eleuationem, quam multus ſpiritus attrahatur, ſuperiorum muſculorum auxilio non indigent.

G 4. loc. aff. c. 8.

H. 1. prog. 14.

Porrò cum tribus de cauſis thorax plurimũ diſtendatur, aut quia augetur calor, viribus conſtantibus; aut quia anguſtia impedimento eſt, ne multus aër ſubeat; aut quia vires deficiunt; vt imminente morte. Prima thoracem dilatare maxime poteſt, ſecunda minus, tertia minimum; licet operentur omnes muſculi.

Ob

Ob id hæc reſpiratio maior apparet, quàm ſit, quia non amplius ſeptum tenditur, quantum ante ſolebat, in cuius ſubſidium, naturæ inſtinctu, intercoſtales, & ſublimes veniunt. Omnium deterrima eſt in qua iunguntur omnes cauſæ, vt in pulmonia, in qua adeſſe poteſt calor, anguſtia, infirmitas.

Quare ratum firmumque eſto, quod Galenus citatus nos docet, magnæ reſpirationis geminas eſſe differentias: fit enim interdum ob dilatationis thoracis magnitudinem, interdum ob multitudinem aëris, qui inſpiratur. Si fiat ob dilatationis magnitudinem, poteſt quidem eſſe ſine delirio: nam quibus tumor vel anguſtia ſine flammeo calore ſpiritalibus mẽbris inſidet, in his thoracis quidem dilatatio maxima eſt, id vero quod inſpiratur, non ſolùm proportione dilatationem non aſſequitur; verùm etiam minùs quàm ſecundum naturam ſolet inſpirari, attrahitur. Meatuum autem anguſtiam multa efficere poſſunt, vt angina, copioſa deſtillatio pulmonis arterias opplens, tuberculum durum pulmonis, ſuppuratio, & ſimilia. Præterea, propter virium languorem, magna fit reſpiratio omnibus agentibus muſculis, adeò, vt aliquando etiam narium pinnæ concurrant. Itaque magna reſpiratio, quæ aucto duntaxat vſu fit, ſine inſtrumentorũ vitio, ſi ſimul adſit raritas, quam obliuio inuehit, delirij eſt ſignum proprium,

non

non tamen neceſſarium, hoc eſt; proprium eſt huius reſpirationis delirium ſignificare, non tamen eſt neceſſarium, vt delirio hoc ſemper ſignum adſit.

Exercitatio de paribus inuaſionum diebus.

TErtiana intermittens neceſſariò moueri debet per dies impares: cum enim repetitio fiat de tertio in tertium, primæ debet reſpondere tertia dies, & tertiæ quinta. Sed nunquid in continuis repetitio non ſit de tertio in tertium? fit quidem, cęterum poteſt prima die febris eſſe adhuc mitis, & in ſecunda exacerbari, cùmq; ſecundæ reſpondeat quarta, ac proinde licet correſpondentia ſit per impares, hoc eſt de tertio in tertium, dies tamen in quibus cōtingunt exacerbationes, ſunt pares. Cum ergo, iuxta opinionem meliùs ſentientium exacerbatio non tam expulſioni humoris à vaſis, quàm aggreſſioni naturæ in humorem expulſum attribuatur, peculiares congreſſus efficiunt acceſſiones; conſentaneum autem eſt, vt cùm natura ad peculiarem pugnam exurgit, exurgat ad vniuerſalem; iccirco in morbis, qui mouentur in paribus diebus, diebus quoque paribus fient criſes, ècontra qui imparibus mouentur, imparibus criſes cōtingent, quod adeò verum eſt, vt in intermittentibus, per acceſſiones dierum computatio

fiat;

4.Aph.59. fiat; hinc Galenus, *quod in continuis vna dies poteſt, hoc in intermittentibus, acceſſio*.

Propter hanc cauſam laudat idem iudicationes quæ ita fiunt, vt quæ febres paribus diebus exacerbantur paribus quoque iudicentur, quarum autem in imparibus exacerbationes fiunt, fiunt & in imparibus iudicationes. Sed non videtur ſibi conſtare: ſiquidem in aphoriſmo ait *febricitantes, niſi diebus imparibus, febris reliquerit, ſolent recidiuare* Galenus ab hac difficultate ſe expedit, damnans hunc aphoriſmum tamquam falſum,& ſuppoſititiũ, aut ſaltem correctione indigentem, vt non dicatur *niſi diebus imparibus*, ſed *niſi in diebus iudicatorijs*. Huic correctioni conſonat ſententia Coacarum, quæ ſic habet, *quibuſcunque febres deſinunt non in diebus decretorijs his recidiuæ fiunt*. Philotheus aphoriſmum intelligit de ſolis morbis acutis: quippè hos ſolos ait moueri per impares, ſed fallitur, nam Philiſci morbus ſatis acutus fuit, & tamen per pares mouebatur; forſitan ille hanc difficultatem præuidit, neque expoſitioni priori acquieuit, propterea explicat aliter, nempè pro imparibus aſſumi debere iudicatorios,& ſic coincidit cum mente Galeni;& hanc magis neceſſariam explicationem eſſe agnoſcit. Verum per viam explicationis ad libitum loquitur; cur enim impares ſignificabunt iudicatorios? Meliùs eſt ita accipere, per viã emendationis contextus.

H. 4.Aph. 61.

Varij

Varij vario modo interpretantur; cęterum nemo negabit ſi pro imparibus iudicatorios dicamus, doctrinam eſſe veram, & omnis difficultatis immunem. Quod intereſt ſcire, conuenit, iudicationes in diebus, quibus exacerbationes fiunt, prouenire, dummodo tamen dies iſti iudicandi vim habeant: ſi enim non ſunt iudicatorij, quæcumque alteratio in his accidat, non ſupernis influxibus, ſed humoris irritamento tribui debet. Sunt autem dies vacui in quibus iudicatio, vel non fit, vel rarò fit, alij intercalares, critici quidem ſed minus nobiles, alij decretorij pręſtantiſſimi, & horum aliqui pares, alij vero impares, & pares alij ſunt pares ratione arithmetica, alij ratione critica, vt decimusquartus, & vigeſimus. Impares omnes præcipuè in ratione critica primas obtinent in iudicando.

Itaque morbus Philiſci cum valde acutus eſſet, iudicandus erat, ad ſummum die ſeptimo, cum moueretur per pares, iudicari debuit, ſexto. Quoniam autem Hippocrates ait, *fèbres iudicantur in eiſdem diebus numero, ex quibus ſuperſunt homines, & ex quibus moriuntur*, ſi ſexto debuerat iudicari, par fuit ſexto quoque die mori. H.3.prog 1.

Exer-

Exercitatio de humore ſyncero.

IN corpore ſecundum naturam ſe habente, debent humores inter ſe permixti exiſtere, etiam ipſe ſanguis, quem in Philiſco ἄκρατον ἆιμα ſanguinem merum Galenus κακόμικτον malè permixtum interpretatur. Eſt enim permixtio bona ratione ſigni, & ratione cauſæ. Quoniam quod permixtum eſt minus lædit, & inſuper ſignificat humorũ cõtemperationem. E contrario ſi ſint impermixti, paſſim ab Hippocrate damnantur. Dicitur autem ἄκρατος ſeu Ionice ἄκρητος, aut εἰλικρινὴς aut ἀμιγὴς, aut ἄμικτος ille humor, qui latinè impermixtus, ſyncerus, merus, meracus appellatur. Hanc autem appellationem, ob vnam ex duabus conditionibus ſuſcipit, vel quia ἄμικτος ὑγρότητος ὑδατώδους expers omnis aquoſitatis, vel quia mixtione caret alterius humoris. Interdum hac eadem appellatione Galenus ſignificat ſimplicem, & impermixtam ſubſtantiam, vt pallidam bilem, purum, rubentem, & floridum ſanguinem, ſed rariſſimè, vt in eo qui in Dealcis decumbebat horto.

Dixi omnem humorem impermixtum prauum eſſe, neque ſanguinem excepi ab hac lege, in quo volens, ſciens, Galeno contradixi, qui, *præter ſanguinem*, ait, *quemuis alium humorem, ſi ſyncerus fuerit, prauam indicare affectionem, quæ flammeo calore generationem obtineat.*

G.2. prog. 47.

neat. Cur præter ſanguinem? nonne ſanguis ſuum habet ichorem, quo, ſi priuetur præternaturalem induit conditionem? Sed quem ſanguinem intelligit? num eum, qui quartus quidam eſt humor? iſte nec ſyncerus in venis poteſt reperiri, teſte eodem Galeno, nec, ſi poſſet, in ſtatu naturali ita conſiſteret, quippè naturæ ordo poſtulat, vt ſit alijs humoribus permixtus, num intelligit nomine ſanguinis vniuerſam maſſam ex humoribus quatuor conſtantem, hæc etiam ſuo indiget ichore & præterea intereſſe debet, iuxta ſuam proportionem permixta.

Cæterum ex duplici humoris ſynceritate illa, quam habet, quia alterius caret conſortio, in ſuis acceptaculis non eſt præter naturam, vt bilis in veſica fellis, melancholia in liene. Cur ergo ſi excernatur humor iſte ſyncerus, nulli alteri permixtus malum eſt? Nempè quia iſti humores licet inutiles ad alendum, non ſunt inutiles ad alios vſus: bilis vtilis eſt, vt ad inteſtina mittatur ad excitandam expulſionem; & ſi hoc in menſura fiat, tunc fæces ſuo colore tingit, ſi autem menſuram ſuperet, excernetur ſyncera, neque deiectio erit bile tincta, ſed mera bilis; ex hac ſuperflua tranſmiſſione bilis ad inteſtina, ſequitur mordicatio, vlceratio, & irritatio ad exſurgendum plus, quàm conuenit. Melancholia in ſplene aceruatur, vt inde ad ventriculum

culum feratur, vt illum contrahat ad ſe ipſum, & intendat cogatq; cibos ad vnguem ample-ɛti, & retinere quouſque fuerint concoɛti, vt
Gal.5. de v urp. voluit Galenus, quem ſequitur Auicenna, qui alium etiam huius humoris reperijt vſum, nempè excitare appetentiam; ſi ergo melancholicus ſuccus hac viã, quæ tendit in ventriculum, occluſam, ad inteſtina feratur; ſi etiam idem humor à liene non exceptus per eadem inteſtina exeat, malum eſt. Sic etiam pituita impermixta magnæ frigiditatis eſt ſoboles, ſi ſanguini permiſceatur culturam ſuſcipit, vt in ſanguinem conuertatur. Meritò ergo Gale-
G.2.progn. 35. nus bilioſum ſyncerum, caloris copiam, pituitoſum verò ſyncerum, frigiditatem aſſerit indicare, intelligens ſyncerum hoc priore modo, nempe nulli alteri humori permixtum. Quod ſi alibi, ait, ſynceritatem flammeum demonſtrare calorem, intelligit ſynceritatem ſecundo modo, nempè eam quam habet humor ſuo ſero ſpoliatus.

Sed nunquid ſynceritas ſecũdo modo ſemper fit à calore? maximè: neque eſt audiendus Iacotius, qui & calorem, & frigus cauſas ſynceritatis agnoſcit: quippe calor exſiccat, frigus cogit, & compingit. Non eſt tamen credibile tantam in corpore viuente frigiditatem poſſe reperiri, quæ humores adeo compingat, vt eos ſuo ſero ſpoliare, ac proinde congelare poſſit. Itaque hoc ſecundo modo

pitui-

pituita nunquam eſt ſyncera: cum enim exſiccatio à calore fiat, nunquam poteſt permanere pituita; & calorem exſiccantem ſecum habere. Et quænam quæſo pituita erit non humida? nempè illa, quæ gypſia dicitur, quæ pituita dici non meretur. Præterea ſi idem Galenus alibi, quemuis humorem ſyncerum à flammeo calore generationem obtinere ait, cur pituitam à frigore ſynceram eſſe dicit? G.2.progn. 47.

Quoniam autem bilis inter omnes humores maximè aquea humiditate diluitur, ſi naturalis ſit, nempè flaua, & febrem accendat, imò prima, in febre accenditur, ei præcipuè ſynceritas attribuitur in febribus, adeò vt Galenus multoties ἄκριτω, hoc eſt ſyncera, interpretatur bilioſa ſyncera: & in aphoriſmis vbi communis translatio habet; *in morbo diuturno cibi faſtidium, & deiectiones ſynceræ malum*: antiqua translatio non legit, *deiectiones ſynceræ*; ſed *deiectiones cholericæ*: & ſimiliter: *ex ſyncera euacuatione inteſtinorum difficultas* vtrobique quædam exemplaria, pro ἄκριτω ὑποχωρήσει, habent χολώδην ὑποχώρησιν, hoc eſt, pro ſyncera deiectione bilioſam deiectionem. Cæterum Galenus duos ſynceritatis modos in vnum videtur confundere: ſiquidem in commentarijs prædictorum aphoriſmorum, ſynceras deiectiones impermixtas aquoſæ humiditati vocat, quoniam ſolus humor euacuatus deijcitur, ſiue ſit bilioſus, ſiue melan- H.7. aph.6. 7.aph.23.

cho-

cholicus, ſiue porri colorem præſeferens, ſiue bilis, quæ æruginoſa nominatur. Nam huiuſmodi deiectiones exuſtam eſſe omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonſtrant. Itaque ſynceras eſſe ait impermixtas aquoſæ humiditati, quæ habent ſolum illum, qui infra deijcitur humorem, ſiue ſit flaua bilis, ſiue atra.

Hæc eſt Galeni ſententia; qui humorem aquoſæ humiditati impermixtum, & humorem ſolum ſine alterius conſortio, ſiue ſit bilis flaua, ſiue atra, ſiue porracea, ſiue æruginoſa, vtrumque, inquam, confundit, in quo erit humor ſyncerus, hoc eſt a quouis alio humore ſecretus, & tamen non arguet magnum calorem exhaurientem omnem natiuam humiditatem, vt ille voluit. Hanc ſynceritatem humoris non permixti cum alio videtur intellexiſſe hippocrates, quando in prognoſticis laudans vomitionem ex pituita & bile permixtis, & alteram opponit, quam dicit prauam eſſe; nempe ſynceram, hoc eſt, ſine permixtione alterius humoris, vel vt illa quam laudauit. Eius hæc ſunt verba: *vomitio autem vtiliſſima eſt, quæ pituita, ac bile permixta quam maximè eſt, & non craſſa valdè, neque multa: ſynceriores enim deteriores ſunt.* Si quæratis, cur vnum tantum humorem vomitu reijci ſit malum? attendite ad illud, *valdè*, & vobis ſoluet difficultatem: nam permiſceri humores interſe

H.2. prog. 38.

ſignum

ſignum eſt naturæ ſuo munere perfungentis, & quo magis permiſcentur, meliùs ſe habere naturam ſignificatur, ſi permiſcentur valdè, natura in optimo eſt ſtatu. Atque iccirco, vt ſuſpicor, dicit ſynceriores, non ſimpliciter ſynceras, quaſi innuens, quò minùs permixtas, eò eſſe magis ſynceras; & ideò Duretus ſynceriores exiſtimat minus prauas eſſe quam ſynceras. quaſi velit Hippocrates vomitiones ὡς μάλιστα, ſiue ἀκριβῶς exactè, quantum poteſt mixtas eſſe bonas; eas verò, quæ non ſunt ita benè permixtæ, quamuis non ſint omninò à ſua ſpecie alienæ, tamen minus habere vtilitatis, quam prædictæ; neque oppoſuit valdè mixtis, omninò impermixta: quoniam hæc iam conſtat ex lege, contrariorum eſſe praua, ſed voluit inſinuare quocumque modo ab optima permixtione recedant, tantum habere prauitatis, quantus eſt receſſus.

Tres tamen remanent difficultates quas operæ pretium erit ſoluere, vt penitus ſyncera maneat, hæc de humorum ſynceritate doctrina. Prior igitur eſt. ſi bilis ſyncera, hoc eſt, nulli alteri humori permixta praua cenſetur, cur tertiana exquiſita, quæ ab hac bile fit ſalubris eſt? ſi loquamur de ſecundo ſynceritatis modo, bilis flaua, quæ tertianam efficit exquiſitam, non eſſet ſyncera: quippe ſuo ſero eſt diluta, ſi loquamur de primo modo ſyncera quidem eſt: ſi namque pituitam ha-

beret permixtam, vtique iam tertiana non exquiſita, ſed notha appellaretur. Dicendum arbitror in ratione periculi, tàm exquiſitam, quàm notham, vtramque intermittentem, periculo vacare: febres enim, ex decreto Hippocratis, quocumque modo intermiſerint, periculo vacare ſignificatur. In ratione durationis diuturnior eſt notha: quippe pituita bilē à ſua velocitate remoratur, ita vt quò tertiana magis ab exquiſita recedat, hoc eſt, quo maiorem pituitæ copiam habebit admixtam, eò longior erit, ſed hoc non denotat, meliorem eſſe bilem ſolam quam permixtam, denotat ſolum motus velocitatem in humorebilioſo: quippè, ſi tertiana vtraq; periculoſa eſſet, citiùs exquiſita quàm notha ad mortem terminaretur. Quod verò attinet ad vehementiam ſymptomatum (& in hoc apparet ſynceri humoris prauitas) exquiſita ferociora habet ſymptomata, rigorem, vomitum bilioſum, caloris acerrimi exceſſum valdè magnum. Eſt itaque bilis ſyncera quæ tertianam efficit exquiſitam ferocior, quàm ſit permixta pituitæ, quæ efficit notham; quod autem ſalubris ſit in hoc non differt ab ea, quæ eſt notha. Salubritas autem prouenit non ratione humoris, ſed mineræ, quæ eſt longiſſimè à corde.

Altera difficultas. Si ſyncera dicitur bilis, quæ ab ichore ſuo eſt ſequeſtrata, à quo liqui-

dior

dior fit, quomodo ab Hippocrate non ſemel dicuntur excrementa ſyncera tenuia. Reſpondet quidam, tenuia, & ſyncera non eſſe eadem, ſed ægroti, de quibus loquitur Hippocrates, deijciebant diuerſa, quorum quædam erant tenuia, quædam verò ſyncera. Hoc quidem ita fuiſſe credibile eſt, ſed facilius eſt dicere, eſſe ſyncera tenuia, hoc eſt, bilioſa ſine mixtione pituitæ, aut melancholiæ, quarum vtraque eſt craſſa; atque ita ſynceritatem ibi primo modo ſumptam, intelligo, quamuis enim eſſent excreta flaua tenuiora ac proinde ſuo ſero admixta, erant tamen ſyncera, hoc eſt, ſine permixtione alterius humoris. H. 1. epid. ſect. 1. & 3. epid. ſect. 2.

Tertia difficultas. Serum humorum pernicioſa res eſt, & quæ malignam indicat qualitatem, quod Galeno acceptum refero, & ab Hippocrate colligi poteſt, cur ergo humores ſero priuati deteriores cenſentur? Deteriores quidem ſunt humores ſuo ſero priuati, ratione ſigni, nam his magnum incendium, quod aqueam humiditatem abſorbet, ſignificatur. Deinde etiam iſtud ſerum, ſi proprium, humoris cuius eſt ſerum, temperamentum ſeruet, non eſt ſuo humore deterius. Si verò à ſuo temperamento recedat (recedit autem quia facilè ebullit & putreſcit) tunc deterius eſt ſuo humore. Dum itaque dicuntur ſyncera, intelliguntur exhauſta, aduſta, dum- G. 6. Epid. ſect. 2. com. 38. H. 6. epid. ſect. 1. in princ.

modo ex alijs cognoſcamus eſſe ſyncera primo modo, hoc eſt ſine ſuo ſero.

Exercitatio de ſpumoſa deiectione.

VT ſpumoſæ deiectionis prauitatem agnoſcatis, oportet priùs inquirere à qua cauſa ſpuma concitetur: Galenus tum propter frigiditatem, tum propter caliditatem fieri ait; huius rei ſignum affert: quippè venti in aqua ſpumam excitantes eam à frigiditate fieri indicant, aqua, quæ in lebete ad ignem ebullit, ac ſpumeſcit, nos docet ſpumam etiam caliditatis eſſe ſobolem. Cæterum dum frigiditati concitandi ſpumas vim tribuit, omninò decipitur, neque exemplo allato quicquam efficit: nam ventus non prout frigidus eſt, aquam ſpumeſcere facit, ſed prout agitat. Quare meliùs alibi, cauſam ſpumæ duplicem ſtatuit, aut enim fit ab agitatione humidi ob ſpiritum flatuoſum contentum, aut à calore.

G. 1. prorrh. 1. com. 21.

G. 4. progn. com. 20. & 7. aph. com. 30. & 2. aph. com. 43.

Cæterum ſemper, ſi fieri poſſit, cauſas, quæ variæ apparentes ſunt, ad vnam reducere eſt operæ prætium, quod in preſenti me facturum ſpero. Siue igitur ſpumam fieri videatis agitatione in aqueo, & aereo, qualem efficiunt venti in mari, & alliſio vndarum ad ſcopulos; ſiue ebullitione facta à calore, vt in lebete aqua pleno, & in ligno viridi dum comburi-

buritur; ſiue quomodocumque, aliter, ſemper cauſam proximam eſſe experietis attenuationem partium humidi aquoſi, quæ, dum in vapores conuerſæ, egreſſum per craſſiorem ſubſtantiam quærunt, & à ſubſtantia illa, ſuam integritatem retinere conante, impediuntur, ac propterea in partes minimas franguntur. Quod ſi ſubſtantia illa ſit facilè cedens vt eſt aqua, facilè exitum præbet, ac proinde citò ſpuma deſinit, ſi ſit viſcoſa, & difficiliùs cedat, diutiùs vapores remoratur, ac propterea diutius ſpuma permanet.

Itaque bilioſa materia in corpore calore febrili correpto, ſecundum multas partes attenuatur, hæ exitum parant, detinentur tamen, quare ebulliunt, & ſpumeſcunt, quapropter ſpuma meritò ignei caloris ſoboles dicitur, quippè calor prout attenuat, occaſionem præbet attenuatæ materiæ, ac proinde exitum ſibi paranti, vt, dum vim patitur à membris exitum prohibentibus, in minimas partes frangatur, & ſpumeſcat. Spuma autem iſta non facile euaneſcit, quippè vbi bilis, & igneus calor valdè prædominant, aliquod ſemper colliquationis rudimentum adeſt, à quo ſpuma perſeuerantiam accipit.

Hæc doctrina vobis declarabit ſententiam Hippocratis ſiue authoris prorrheticorum quicumque ille fuit, qui ſic ait. *Deiectiones in ſpumoſas, ſynceraſque deſinentes morbum exacer-* 1. prorrh. ſect. 2. tex. 15.

 bant.

bant, dixit, *deſinentes* hoc eſt, in morbi progreſſu, ſeu tractu temporis. dixit *morbum exacerbant* hoc eſt, morbi exacerbationem ſignificant. Hoc igitur in hunc modum explico. Maiores quidem bullæ in principio excitantur: quia tunc maior adeſt vaporum copia, qui exitum ſibi parant, deinde tractu temporis, deficientibus vaporibus, minuitur ſpuma. Si igitur tractu temporis, cum ſpuma debuit minui; tantum abeſt, vt diminuatur, quin potiùs denuò maior appareat; ſignum eſt exacerbationis, ſiue nouæ ebullitionis. Itaque ſpumoſa deiectio ſemper eſt malum ſignum, quia ſignificat calorem ebullitionis authorem, longè factum maiorem; quòd eſt deteriùs in fine, quando ebullitio ceſſare debuerat.

Exercitatio de curatione febris cum alui fluxu.

CVm difficilis ſit curatio, quando concurrunt ſimul febris, & alui fluxus, neque Hippocrates quomodo ſe in hac difficultate geſſerit explicat, vtilis erit vobis aliqua circa hanc rem diſquiſitio. Ex vna parte ſanguinis miſſio non videtur conuenire: quippè nec Hippocrates, nec Galenus fluente aluo, venam ſecari iuſſiſſent. Hippocrates quidem, *ſi cuipiam*, inquit, *ſanguinem auferre confert*,

4. acut. tex. 116.

ventrem

ventrem firmare oportet. Galenus ibidem *fluente aluo ſanguinem non detrahes : nam ſi poſt detractionem perſeuerauerit fluor virtutem proſternit.* Ex altera parte, febris acuta, quam putreſcens humor concitat præſtantiſſimum habet remedium ſanguinis miſſionem, vt celebris eſt ſententia à Galeno prolata. Præterea, ſi adſint ſigna plenitudinis, lumborum dolor, colli tenſio, capitis grauitas, plenitudini ſanguinis miſſionem deberi à Galeno ſatis, ſuperque eſt inculcatum, & à poſteris vnanimiter receptum. G.11. meth. c.15.

Rurſus in medicamento purgante eadem vrget contradictio. Nam ex vna parte incendium febrile nos ab hoc auxilio deterret; quippè medicamentum purgans, vigente incendio, ignem igni addit: iccircò ſapienter Hippocrates libello de medicamentis purgantibus ſic ait. *Quicumque igitur à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgantia exhibere non oportet; donec remiſerit febris.* Et paulo poſt, *quapropter in febribus vehementibus medicamenta purgantia exhibere non oportet; verùm, ſi alicui opus fuerit infuſum per clyſterem exhibere poteſt, quotieſcumque volueris: hoc enim minoris periculi eſt.* Idem faciendum.

Nec dicatis, quod communiter dici ſolet, hanc cautionem neceſſariam fuiſſe Hippocrati, qui non niſi fortia pharmaca cognouit, non autem nobis, qui mitioribus abundamus.

Scire

Scire namque debetis nullum eſſe medicamentum purgans, quantumuis facilè, quod exagitando non calefaciat, præcipuè corpus febre comprehenſum. Ex altera parte videtur ad ſedandum fluxum bilioſum neceſſariam eſſe humoris bilioſi eradicationem per medicamentum purgans, vt ſic cauſa ſtimulans, & ægrum ad deijciendum compellens

Auic. 16. 3. tract.2.c.3. auferatur. Quapropter Auicenna *vomitus, ait, quandoque probibetur vomitu, & fluxus quandoque probibetur fluxu*. Deinde fluxus alui bilioſus indicat cacochymiam, cacochymiæ conuenit purgatio.

Denique vtrumque remedium, ſiue ſit venæ ſectio, ſiue purgatio, in alui fluxu non ad-

G. 1. Artis Cur. ad Glauc.c.14. mittitur à Galeno, dicente: *Sed neque ſi fuerit febris cum profluuio ventris alia eſt opus euacuatione, verùm hæc ſola ſufficit, quamuis non ſit pro multitudinis ratione; quicumque enim his plus adimere fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut ventrem mouere tentarunt, in grauiora pericula deduxerunt*.

His anguſtijs circumuentus deſiſtet ne medicus à curatione? minimè: nec enim æger adhuc in ea deſperatione eſt, in qua ægrũ debeat ſolis prognoſticis relinquere. Ergo priùs, ſi non ægrotanti, ſaltem adſtantibus declarata ſanandi difficultate, curationem medicus auſpicabitur, admonitus ab Hippocrate & Galeno, quorum vterq; medicum gubernatori

ri nauis comparauit. Prudens gubernator pro ratione inſtantis ſcopuli, quàm agnoſcit, aut procellæ quàm præcognoſcit, clauum fle-ctit, vela contrahit, & reliqua quæ præagenda ſunt peragit. Sic autem medicinam faciens & præſentis mali, & impendentis periculi ratio-nem habebit, & ab vno auxilio deſiſtens, ad aliud ſe confert. Si adeſt plenitudo ſimul cum cacochymia, conſiderabit, an vtraque pariter vrgeat, & tunc incipiet ab ea; ſinè qua altera ſanari nequit. v.g. ſi, niſi plenitudo auferatur, cacochymiæ mederi non poſſumus, à pleni-tudine exordium ſumendum eſt. Quod autem plenitudo, ſiue ſit ad vaſa, ſiue ſit ad vires, impediat cacochymię curationem, patet: quia plenitudo eſt, via ad cacochymiam. Si enim eſt ad vires, cum in hac ſanguinis quantitas à viribus nequeat gubernari, neceſſarium eſt, vt putreſcat. Si ad vaſa ſit, neque venas diſrum-pat, neque ob venarum interceptionem apo-pleticum inducat affectum, neceſſariò ad ſan-guinem, præ multitudine, conculcatum, & ſub-inde non ſatis difflatum putredo oritur. Itaq; & ob hanc, & ob alias rationes, quas contro-uerſiarum ſcriptores adducunt, cum par vrget vtriuſque remedij neceſſitas, à ſanguinis miſ-ſione incipiendum eſt.

Hoc peragendum proponitur ex ea parte, quæ auxilijs medicis vti perſuadet. Ex altera verò, quæ prohibet non ſunt contemnenda

præ-

præcepta , ità tamen, vt non omninò diſſuadeant, ſed duntaxat moderationem inducant. Sic Auicenna, quando dixit, *caue ne ægrum ad alterum duorum perducas, vel cholericorum ebullitionem, vel frigidiorum incrudationem*, videtur admittere quidem venæ ſectionem, ſed cautè, ne ad alterum extremorum accedatur. Hippocrates, ante venæ ſectionem ventrem firmare iubens, ita accipitur, vt non prorſus velit expectare, donec prorſus alui fluxus ſedetur, deinde ſedato, ſanguis mittatur, imprudens enim conſilium eſſet tandiù expectare, ſed videtur velle, (ſi æger ſanguinis miſſione indigeat, & alui profluuium adſit, propter quod frequenter ad excernendum cogitur exurgere) priùs clyſtere abſtergente, vel quocumque alio remedio eſſe curandum, quò nimirum rariores fiant deiectiones, & ne æger dum fluit ſanguis, ſimul etiam alui excrementa deponat. Galenus admonet aluo fluente, non eſſe mittendum ſanguinem, ne, ſi fluxus perſeueret, vires deijciantur, cum autem his verbis ſolum futuræ debilitati conſulat, quid aliud nobis indicat, niſi parcè extrahendum eſſe ſanguinem? vt ſic ſine timore inferendi noxam poſſit iuuare. Hæc autem menſura prudentis medici æſtimationi eſt cōmittenda.

Exer-

Exercitatio de Syntexi.

QVamuis Galenus nominum parum, ſolicitus aliquando ſit, inquit, *ἀνασοικείωσις, ἢ σύντηξις ἢ ἀνάλυσις*, ſeu quomodocunque nominare libet, nonunquam totius corporis, nõnunquam ſuccorum, qui in venis continentur; quod autem ex ea colliquatione profluit, aliàs ad ventrem confluit, aliàs ad vrinas. Ex his verbis recrementatio, & ſyntexis, & analyſis in idem coincidere videntur, nihilominus, ſyntexis, hoc eſt, colliquatio, ab analyſi ſeu reſolutione differre colligitur ex eodem alibi, dùm ait, *ſiquidem, quoad materiam vberem habent hanc colliquant, vbi illis tùm adeps, tùm caro mollis deficit, duras, & ægre liquabiles carnes ſiccant à quibus propter ſiccitatem, nihil deflmt*, atque ita videtur velle non dici colliquationem, niſi in ijs rebus à quibus defluit colliquamentum, quod Ariſtoteles manifeſtè docet, inquiens, *ligna verò terræ ſunt, & aëris, quæ colliquari ac molleſcere nequeunt.* Itaque per inſenſibilem tranſpirationem conſumi quidem corpus, & attenuari dicitur, colliquari autem, non, niſi in ſubſtantiam fluidam vertatur. Quapropter Galenus in aphoriſmo *febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam, pluſquam ratio poſtulat, colliqueſcere, malum* Hippocratem, ait, verbo *συντήκεσθαι*, ideſt colliqueſcere, non in propria ſigni-

G.3. ſymp. cauſ. c.2.

G.10. met. c.vlt.

A.4. mete. c.7.

G.2. aphor. 28.

ſignificatione fuiſſe vſum, ſed magis abuſum.

Imò ſi magis ſtrictè loqui velimus, nec pinguedini diſſolutæ nomen colliquationis dabimus, dicente Galeno, *colliquationes, quæ per ventrem excernuntur, ex communi vſu medicorum differre à pinguibus deiectionibus*; Et hoc quidem meritò: quoniam colliquationes non ſunt ſimiles ſubſtantiæ, à qua effluunt, vt experimur in carnibus aſſis nondum exſiccatis; at pingues deiectiones ſunt pinguedini colliquatæ ſimiles, ſolo colore mutatæ, licet non ſemper colore mutentur, vt cum recens pinguedo non putreſcens, à calore non admodum vehemente liquatur.

3.epid.ſec. 3. ægrot. 1.

Porrò vera, & propria liquatio contingit carnibus, & ſolidis corporis membris, exhauſto ſcilicet humore; exhauritur autem priùs alimentarius, poſtea primogenius, ſiue radicabilis, hic vero non omninò, ſed aliqua ex parte. Hoc vobis palàm faciet Hippocratica ſententia *omnis extenuatio laxat cutem, deinde diſtenditur. Defectio contraria facit; cutis corrugatio concidentis extenſio*. Explicat Galenus hanc ſententiam exemplo vtris, aut veſicæ. Veſica e.g. ſi euacuetur laxa remanet. deinde ſi euacuata perſiſtat, eius corpus exſiccabitur. Ita etiam in extenuatione noſtri corporis, ob deficientem ſubiectam carnem, cutis laxatur, procedente autem extenuatione etiam ipſius cutis ſubſtantia ſiccior redditur.

H. 6. epid. ſect.3. tex. 29.

Quare

Quare meritò dixit Hippocrates omnem extenuationem cutem laxare, deinde diſtendere, nempè laxatur, ob euacuatam ſubiectam carnem; diſtenditur ob acquiſitam propriæ ſubſtantiæ duritiem. Addit deinde *Refectio contraria facit* quod in extenuatione priùs erat cutim relaxari, quia euacuabatur carnis humiditas, in refectione, verò priùs eſt, cutim diſtendi, quia caro iterum reficitur. Rurſus in extenuatione poſteriùs erat cutim indurari, in refectione poſteriùs eſt cutim molleſcere, ſuſcepto, ſcilicet alimento, cuius beneficio ſubſtantificè humectatur.

Ordo colliquationis eſt, vt priùs fundantur humores, deinde adeps (vt Galenus ait) prius recens, deinde vetutior, poſtea noua, ac recens caro, mox dura, ac vetuſta, poſtremò membra ſolida; nihilominus tamen ſunt ſex colliquationes, licet Galenus quinque duntaxat enumeret; omiſſa ea, quæ eſt humorum, cuius tamen alibi meminit, dummodo tamen vberem materiam habeant, quæ poſſit effluere. Nam (ſi Galenum conſulitis) nec fibroſa, nec neruoſa, membranoſavè natura, eandem generationem habere cernitur; nec fas eſt eius modi ſingularum partium fibras à malignis febribus liquari ſicuti carnes: quando animal ipſum, priùs quam hæ prorſus ſint ſiccatæ, interemerint. Exemplo carnium, quæ in craticulis aſſantur hoc fit manifeſtum

G.2.prog. 22.

G.10. meth. c.vlt.

ſues

ſues ſylueſtres vel nihil, vel ferè nihil habent quod ex ſe defluat ſi aſſentur Carnes, domeſticis verò plurimum difluit. Ita carnes humidas pingueſque habentibus per febres liquatio fit, ſiccioribus febris in maraſmodem tranſit, niſi priùs æger vel morbi violentia, vel medici inſcitia moriatur;& hæc eſt differentia inter febres ſynte͡cticas, & febres maraſmodes. In ſyncteticis magna & penè ſubita colliquatio ad ventrem mittitur, in maraſmodibus caro, quæ ſenſim colliquatur ſicca eſt, ac in vapores digeritur,& nulla erit ſenſibilis colliquatio, non aliter quam ſi ad ignem carnes priùs exſiccatas vel ſale, fumoque duratas, torrere velitis.

Ex his cognoſcetis parenchymata noſtri corporis (ita appellantur viſcerum carnes, hoc eſt iecoris, lienis, cordis, renum, pulmonum) omnia quidem poſſe contabeſcere, non omnia colliquamentum ex ſe diffundere. Iecoris ſubſtantiam colliquari his verbis Galenus expreſſit ; *calida igitur intemperie circa viſcus exiſtente, colliquationes fiunt, primùm humorum ; deinde etiam carnis ipſius hepatis, & euacuatur per ventrem bilis craſſa, graue olens, & abunde colorata, quemadmodum in peſtilentibus febribus contingit*. Lienis colliquatio nigra eſt, & ſimilis ſubſtantiæ ipſius, vt in huius viſceris inflammationibus conſpicitur. Renes ob duritiem ſuam non facilè liquantur,

G.8, de cõp. med. ſec.loc.c.7.

ſed

ſed quæ ex his effunditur pinguedo per vrinas, Ex ipſorum pinguedine effluit, vt teſtatur Galenus, explicans aphoriſmum. *Quibus inſidens pingue, ac ſimul totum, ijs renum vitium auctum ſignificatur.* Liquata tamen eorum caro effundit per vrinas carunculas, & filamenta, vt voluit Hippocrates, & ſedimentum oroboidem de quo infra. Acorde in vniuerſo corpore colliquatio poteſt euenire, peribit tamen animal, ante quàm contabeſcat ipſum cor; reliquum priùs corpus contabeſcere eſt neceſſe; nam quamuis omnes particulæ nutrimentum ad ſe ipſas trahant, æquali tamen attrahendi robore non vtuntur omnes: ideoquè in ſanguinis indigentia, non æquè omnes alimento deſtituuntur: cor enim cum vehementiſſimam habeat attrahendi actionem, alimento nunquam indigebit, niſi priùs omnes animalis particulæ ad extremam deuenerint inopiam. Sic Galenus in libro de marcore. De pulmone non auſim dicere ipſum marceſcere, quandoquidem crebris deſtillationibus humectatur, continuaque attractione aëris refrigeratur. Aliundè tamen cum inflammari poſſit, poterit etiam exſiccari. Galenus dum membra, quæ cor calefaciendo hecticam, ſiccamque inferre poſſunt febrem, quam marcor conſequitur, enumerat, accedens ad pulmonem ita inquit, *quantum igitur ad propinquitatem attinet, pulmo quidem omnium maximè,*

G.7.aph. 35.

H.4.aph. 76.

G.lib. de Mar.c.5.

G. de Mar. c.7.

ximè, ac potiſſimè, cor calefaciendo, hecticam, ſiccamque inferre febrem; quam marcor conſequitur, debuerat: *hoc tamen fieri non conſpicitur: nec facilè vnquam viſcus hoc affectionem cauſæ ſimilem ſuſcipiet; tum quia humidum eſt; tum etiam quia reſpiratione refrigeratur.* Cæterum debuerat memiuiſſe; hoc ſolùm, ita ſe habere in ſtatu ſanitatis, in quo pulmo refrigerationi cordis inſeruit; cæterum non poſſe affectionem in pulmone gigni, quæ febrem hecticam inducat, falſum omninò eſt: quippè ex vulceribus pulmonis tabem ortum habere vulgatiſſimũ eſt. Porrò tabeſcere poſſunt membra omnia, liquari ea ſolum, quæ humiditatem, pinguedinemque habeant. Nec video cur Galenus neget, poſſe membra particularia marceſcere, & marcorem dicat eſſe affectum totius; ſatis quidem euidenter pupillæ tabes nobis ſe ſe repreſentat, & interiora multa contabeſcentia autopſia demonſtrat.

G. de Mar. c.1.

Colliquationis cauſa calor eſt vehemens, vel malignus: de vehemente dubitabit nemo, de maligno quoque non dubitabit, qui conſiderauerit proprium eſſe ſymptoma febrium peſtilentium, quod à Galeno poteritis addiſcere. Qui etiam meminerit venena dari colliquefaciendi vim habentia; calorem igitur malignum appellabitis in maligna putredine accenſum, ex qua vapores eleuantur, qui ſpirituoſam ſubſtantiam lancinare; & tanta corruptione

G. 3. epid. ſect. 3. ægr. 1. & 8. de cõp. med. ſecund. loc. c. 7.

ruptione membra poſſint tentare, vt diſſoluta deffluant.

Signa colliquationis in deiectionibus, in vrinis, in vrinarum ſubſidentijs, & tandem in ſudoribus conſpiciuntur. Et quod attinet ad deiectiones, Galenus inter pingues, & viſcoſas hoc diſcrimen facit, quod pingues, in pinguedine liquefacta fiunt, viſcoſæ verò in ſolidis membris contabeſcentibus. In hoc tamen videtur contradicere & ſibi met, & Hippocrati. Sibi, quia in prognoſticis glutinoſam deiectionem, modicæ conſumptioni tribui dixit, at conſumptio ſolidorum immodica quidem eſt. Hippocrati, qui cum glutinoſam malam eſſe dixiſſet, magis lethalem dixit eſſe pinguem. Si ergo pinguis eſt magis lethalis, non eſt ex ſola pinguedinis conſumptione, neque viſcoſa, ſi minùs lethalis, ex conſumptione ſolidorum.

G. 1. criſ. c. 11.

G. 2. progn. com. 21.

H. 2. progn. tex. 21. & 22.

Vt Galenum à contradictione liberemus, & cum Hippocrate conciliemus, conſiderare oportet, aliam eſſe glutinoſam, paucam, & non fætidam, aliam glutinoſam copioſam fætentem: quando ergo ait glutinoſam fieri in partibus ſolidis liquatis, niſi ex cibo glutinoſo aſſumpto tale accidat, intelligere debemus glutinoſam multam, & fætentem. Sic etiam Hippocrates quando pinguem deteriorem ſtatuit, loquitur de pingui, copioſiore, & graueolente.

Auth. lib. de vrin. ca. 25.
ελαιοχροα.
ελαιοφανς.
ελαιοδης.

Vrina colliquationis ſoboles ſi conſideretur iuxta ſuam ſubſtantiam, author libri de vrinis ex oleagineis triplicem ſpeciem conſtituit; prima eſt elæochroa oleum colorem referens, quæ principium colliquationis indicat; altera eleophanes, olei ſplendorem gerens, hanc, ait, habere aliquid magis ſimile oleo, quod ſupra vrinam inſidet, ſignificatque augmentum colliquationis. Tertia elæodes, quæ tota ſua ſubſtantia, & vndequaque eſt veluti oleum, quæ indicat ſtatum, & ſummum vigorem colliquationis. Verùm Galenus oleoſam vrinam ſic dictam ab Hippocrate accipit, quaſi colore, ac ſubſtantia oleo ſimilem. Vrinam autem totam pinguem vt oleum à nemine vnquam fuiſſe viſam, neque tale quidpiam ſcripſit in prognoſticis Hippocrates, ſed in vrinis damnat, pinguedines ſupernatantes ſimiles telis araneorum; tale quidpiam in pinguioribus iuſculis refrigeſcentibus cernitur. Hæ ſemper ſupernatant, naturam enim omne liquidum pingue habet, vt ſemper reliquis ſuperfundatur.

G. 3. epid. ſect. 3. ægr. 1.
H. 2. progn. 35.

Iſta igitur pinguedo græcè dicta γραῦς à quo non multum diſtat vulgare vocabulum *graſſo* in ſanis, ſine vllo prauo ſigno apparet: quippè ſanguis pinguem partem ſecum habet, cuius aliquid ſimul cum ſerò ſanguinis percolatur, ſaltem cum pingue hoc in ſanguine abundat; propterea Galenus ſanguinis per-

perfectè cocti in ſanitate ſignum eſſe voluit nubecula deſuper tenuis, velut quod in ſummo lacte colligitur, aut quod in iure pingui concreuit. Hanc autem partem ſanguinis tenuem, & pinguem febris ardentis calor in bilem mutat, vt Galenus ait, & nebula quæ in ſanitate aderat in febribus non adeſt. G.4.ſanit. tuend.c.4. G.2. differ. feb.c.9. 2.Criſ.c.12.

Quòd ſi adſit in febribus, conſiderare oportet (quod ſapienter Hippocrates conſiderauit) an ſimul totum educatur, an verò paulatim: inquit enim *quibus inſidens pingue, ac ſimul totum, his renum vitium auctum ſignificatur*, Galenus hoc annotauit. In alijs, inquit ille, partibus corporis adipes colliquati paulatim, & non vniuerſim cum vrina exeunt; primùm colliquatione recepta à venis illis vicinis, deinde ab his quæ continuantur, & rurſus ab alijs donec ad renes perueniat. Adipis verò circa renes colliquati tranſumptio ad vrinas celerrima eſt, & non paulatim, ſed ſimul tota fit. H.7.aph. 35.

Sedimenta præterea in vrinis colliquationem indicantibus, ſunt iudicanda. Id autem In triplici differentia reperietis apud Hippocratem, prima dicitur crimnodes, ſimilis partibus hordei craſſioribus, quæ cum farina hordei comparat, quæ exquiſitam effugit in mole triturationem, vt vult, Dioſcorides, & craſſiorem farinæ partem eſſe dicit, ſiue ex hordeo ſiue non. Hæc vnum duorum ſigni- H.2.prog. tex.28. κριμνώδες. Dioſc. lib. 2.c.81.

ficat, aut ſanguinis craſſioris aſſationem, aut carnium inæqualem colliquationem. Vbi ſanguis aſſatur rubedinem contrahet ſedimentum, vt Actuarius voluit; vbi carnes inæqualiter colliquantur, aut exiguam, aut nullam. Hanc duplicis damni ſignificationem habetis apud Galenum, tum in commento prognoſtici, tum in opere de criſibus. Niſi quod in prognoſtico dixit, *carnes inæqualiter colliquari; indè criſibus magnam pati colliquationem*; ſed nulla eſt differentia; ea enim eſt magnitudo colliquationis, quæ ex hoc ſedimeuto ſignificatur, vt ad carnem tum recentem, tum vetutiorem perueniat. Ioannes Brauus inter crimonidem, & oroboidem, differentiam aliquam conſtituit, & videtur velle oroboidem, quæ orobo, ideſt, eruo ſimilis eſt, eſſe magis rubram, alteram vero nempè crimnodem illius comparatione poſſe dici albam. Verùm quicquid ille dicat vtraque iſtarum eandem habet ſignificationem; quippè Galenus crimnoden (vt diximus) ſanguinis, & carnis conſumptione fieri dixit. Et idemmet oroboidem fieri ait ſanguine craſſo in renibus, aut hepate exuſto. Et author libri de vrinis, cum caro colliquatur fieri, ait, hypoſtaſes oroboides. Ea tamen conditione, quam author illius libelli ex Hippocrate ſumpſit, vt vrinæ, ſi coctæ ſint, vitium renum ſignificent, ſin' crudæ, totius corporis. Maior autem, aut minor coloris

Actuar. 2. de Iud. vrin. c. 10.

G. 1. criſ. c. 2.

Aut. lib. de vrin. c. 6.

loris ſaturatio non conficit differentiam; neque enim in omnibus (quòd benè Galenus aduertit) aut ſanguis exquiſitè ruber ſit, ſed aliquando magis atrum, aliquando magis flauum. Hoc ſedimentum crimnoden longitudinem morbi ſignificare ait Hippocrates, quod non tollit exitiale eſſe ſignum, ſed ſolum indicat, ſi æger ſaluandus ſit, longo temporis ſpatio indigere, vt morbus finiatur.

G.6. epid. ſect.1. com. 6.

H.7. aphor. 31.

Altera ſpecies, ſeù differentia ſedimenti colliquationem indicantis eſt ſquamoſa ſeu laminea, latitudinem & longitudinem habens citra tamen euidentem altitudinem, atque ita appellatur, quòd foliorum, aut ſquamarum, aut laminarum inſtar, lata & tenuia exiſtant. hæc, cum acuta febre ſolidæ corporis partes depaſcuntur. Ait Galenus quæ folia repreſentant eſſe vaſorum partes ſuperficiales, quæ cõtabuerunt. Vt cumque tamen ſit, conſtat hanc præcedentibus deteriorem eſſe. Et quamuis Hippocrates has ſquamulas ſignum eſſe dicat veſicæ vlceratæ, in hoc eadem habenda eſt conſideratio, quam diximus, in ſedimento crimnode, quod cum vrinis coctis renum affectum ſignificat, cum crudis totius corporis. Eodem modo Hippocrates ait *ſi ſanguinem, aut pus mingat; grauiſque odor fuerit, veſicæ vlcerationem ſignificat, Si igitur veſicæ fiant vitio, exeunt ſine febre, cùm vrinæ fætore, & coctione, & laborantis loci dolore. quæ verò totius corpo-*

πεταλώδης.

G. 1. criſ. c. 12.

H.4. aph. 81.

ris indicant affectum cum febre & vrinarum cruditate iunguntur.

Tertia ſpecies eſt furfuracea, dicitur etiam ſimilacea, quoniam ſimilæ, ideſt furfuris, ex tritico cribrati, ſpecimen exhibet, fit autem vbi calor febrilis obſeſſa profunditate, longè, lateque ſolidarum partium ſubſtantiam exurit. Hæc ſedimenta, licet ſquamulis ſint anguſtiora, craſſiora tamen ſunt, & conſumptio deterior eſt, quæ penetiora quam quæ extima tantum abradit. Hæc furfuracea ſignificant veſicæ ſcabiem dicente Hippocrate. H.4.aph. 77. *Quibus in vrina craſſa furfuracea quædam exeunt, his veſica ſcabie laborat*, ſed aduertite dictum *in vrina craſſa*, nempè in ea, quæ mediocriter craſſa eſt, & ſubindè cocta, vt etiam hic ſuperior conſideratio locum habeat, videlicet, cum vrina cocta, indicare vitium viſicæ, cum cruda totius corporis.

Atquè hæ ſunt ſpecies ſedimentorum conſumptionem ſignificantiũ, in quibus, ſi Actuarium attentè legatis, aliquantulum ab Hippocrate, & Galeno diſcrepat. Sed omnia quæ ab his authoribus dicuntur poſſunt ita in ordinem reduci, ne ex varijs quæ ſcripta reperiuntur confuſio oriatur.

Sedimẽ-	Rubrũ	oroboi-	ſanguinis cõ-
tum cõ-		de ſãda	ſumptionem
ſumptio	inter-	rachoi-	ſignicat, & va
nem ſi-	album	de ruffũ	rijs iſti colo-
			res

gnifi- cans | & ru- brum | | res fiũt proſanguinis varietate.

crimnodes | Quod eſt tamquã farina hordei, quę effugerat trituram, ſignificat ſanguinis & carnis cõſumptionem.

Album | Laminarum ſignificat ſuperficiei externæ vaſorum conſumptionem, & eſt prauum; quia vaſa ſunt membra ſolida, quorum conſumptio magnum indicat incendium. Furfuraceum omnium peſſimũ, quia habet profunditatẽ; non eſt tenue ſicut lamineum, ac proinde ſignificat membrorum ſolidorum maiorem conſumptionem; vltra quod non datur niſi incineratio.

Sudor etiam diaphoreticus colliquationis eſt ſoboles, fitque διὰ τὴν ἔκλισιν ideſt per exolutionem, & hunc ſudorem inter colliquamen- ἱδρὼς διαφορητικός.

ta

ta collocat Galenus inquiens *carnoſo verò ge-*
3. Sympt. cauſ. c. 2. *nere ita colliquato, tum venter fluxionem eius re-*
cipit, vbi ſcilicet ea eſt craſſior, tum ſudores mul-
ti ſuperueniunt vbi in halitus eſt reſoluta. Atq; hæc cuncta ſimul de colliquatione ſcripſiſſe volui, vt quoties eius fiet mentio huc recurratis.

Exercitatio de teneſmo.

TAm Græci, quàm Latini, continuam deſidendi cupiditatem ſolent teneſmum appellare, ab ea (vt Galenus ait,) quæ fit in G. 7. aph. 27. hoc affectu, tenſione; Arabes ſi cum dolore fiat appellant Zair. Differt à dyſenteria loco duntaxat: cum enim vtrobique detur inteſtinorum vlceratio, in dyſenteria vlcerantur omnia inteſtina, præter rectũ, in teneſmo nullum præter rectum, ex hac vlceratione ſequitur inanis excernendi voluntas, inanem dico, quoniam vel nihil excernitur, vel longè minus, quàm ſit pro voluntatis impetu. Deſcribit H. lib. de affectionibus. hunc affectum Hippocrates, inquiens *teneſmus vbi apprehenderit ſecedit ſanguis, ac mucus, & dolor fit in ventre inferiore, maxime vbi ad ſeceſſum deuenerit, & egerit bilem, & pituitam, ac ſanguinem cõbuſtum* ab ipſo Hippoc. exemplũ ſumpſit eius ſimia Cornelius, Celſus qui ita ait, *In hoc æquè ac in torminibus frequens deſidendi cupiditas eſt, æquè dolor, vbi aliquid excerni-*

cernitur, deſcendunt autem pituitæ mucis ſimiles, interdum etiam leuiter ſubcruentæ.

Igitur vt ſub cruenta fiat deiectio, neceſſe ſit, vt adſit exulceratio, quam videtur ſupponere Galenus dum ait. *In teneſmo eandem habere cauſam, ac diſpoſitionem, inteſtinum rectum quam in dyſenteria (ſed in hac) ſuſcipit aliquod ex ſuperioribus.* Imò manifeſtè alioi vlcerationem in teneſmo dari ait his verbis. *Eſt autem ex eodem, quo iam dicta dyſentiora genere, & qui teneſmos dicitur, cùm vlcus in recto inteſtino eſt factum. Is cætera quidem ſymptomata infert dyſenteriæ ſimilia, nixus tamen multo vehementiores.* Ex his patet quàm immeritò, quidam Pereda reprehendat Altimarum, quòd dixerit, citra inteſtini vlcerationem fieri non poſſe teneſmum. Profectò melius Arabes, & Arabum ſectatores diuidunt teneſmum in verum, & non verum; ita vt verum ſit quem dicimus fieri vlceratione; non verum erit deſidendi facultas, citra vlcus. In hoc mucus quidam viſcoſus eijcitur, ſine cruore, & aliquando etiam nihil, nempè ſi teneſmus fiat ex ſimplici intemperie frigida offendente muſculum Sphyncterem, vt cõtingit ijs, qui ſupra lapidem, aut in herboſo prato ſedentes, circa illam partem rifrigerantur.

G.7.aph. cit.

3. Sympt. cauſ.c.2.

Exer-

Exercitatio de Inflammatione, & eriſypelate.

G. de morb. diff. c. 2. VEteres ante Galenum, quendam veluti feruorem in corporis partibus accenſum, ſed rubeſcentem, ac renitentem, dolorificumque tumorem inflammationis nomine ſignıcabant, atque ita comprehendebant omnem tumorem à quacumque cauſa calida ortum ducentem, ſic etiam Galenus aliquando accipit, quando exquiſitè loquitur *Inflamationem tamquam ſpeciem, quæ retinet generis ſui nomen, ſicut pleræque ſpecies retinere ſolent*. Si de ea quæ genus eſt loquamur, communis omnium inflammationum, ait Galenus, generatio ex ſanguinis influxu eſt, copioſioris ſcilicet, quàm pars poſtulet. Si verò de ea agamus, quæ ſui generis nomen accipit, hæc, ſanguine optimo, ac mediocrem craſſitudinem habente, ad particulam aliquam vniuerſim fluente, atque ob multitudinem conculcato, excitari voluit idem Galenus.

Gal. ad Glauc. lib. 2. c. 1.

G. 13. meth. c. 2. 3.

Gal. 2. ad Glauc. c. 1. Cum verò ſanguis influens calidus ſufficienter extiterit, & craſſus, quodcumq; membrorum ſubitò occupauerit, hoc comburendo facit vlcus cum cruſta, quicquid verò circumiacet, in inflammationem leuat, efferueſcẽtem grauiterq; dolentem, vocatur autem anthrax, ideſt carbo iſtiuſmodi paſſio. Cum verò ſanguis influens niger extiterit, craſſuſq; fæculentus,

tus, ac feruens, qualis, quem antea diximus: ſimul autē & ſanies nonnullas tenues admixtas habuerit, puſtulas quaſdam per ſumma cutis excitat, ſimiles ijs, quæ ex igne fiunt, quibus diſruptis cruſtoſum ſub ipſis vlcus inuenitur, hocque etiam carbo eſt.

Hæ ſunt ſpecies ſanguinis quidem boni, aut craſſioris eiuſdem partis, quæ aduſtione fiunt: cæterum cum ex ſanguinis ardore, rectiùs dicam, corruptione, non ſolùm partes manent craſſæ aduſtæ, ſed tenues etiam, quæ bilioſæ vocantur, ex his bilioſis, aliæ fiunt ſpecies inflammationum. Flaua igitur bilis per totum corpus diffuſa icteritiam gignit, in aliquo autem membro conſiſtens herpetem. Si autem bilis ſyncera ſit, & ſuo ichore priuata herpetem gignit exedentem; altera verò herpetem miliarem, quia puſtulas habet paruas granis milij ſimiles.

Quod ſi ex ſanguine, & flaua bile calidioribus quam oporteat mixta fluxio fuerit, vel ex ſanguine quidem, ſed tenuiſſimo ſecundum ſubſtantiam, Eryſipelas, paſſio iſta vocatur, multò quidem inflammatione calidior, magiſque colorem flauum repreſentans. Hæc fere omnia ex Galeno ad Glauconem tranſcribere libuit; ex quibus ſolùm memoriæ mandetis velim. *Inflammationem in ſuo ſtricto, & proprio ſignificatu fieri ex ſanguine, qui, quãuis ſit calidior quàm in ſanitate, non Dum tamen formam*

ſan-

ſanguinis amiſit. Ex ſanguine verò adhuc calidiore & bile perfuſo, vel ex ſanguine ſolum tenuiſſimo fieri Eryſipelata nemini obſcurum arbitror vnde quando Hippocrates ait *ſi mulieri grauidæ in vtero fiat Eryſipelas lethale*. Dubitat hic Galenus, an idē poſſit euenire, ſi accidat, ea, quæ proprio nomine dicitur inflammatio, quaſi de Eryſipelate non dubitans infelicem euentum, de inflammatione verò dubitans? quia inflammatio mitior eſt, quàm eryſipelas, mitior inquam, comparatiuè, nam & ipſa eſt valdè periculoſa.

H.5.aph. 43.

Patet ex his quæ dicta ſunt, inflammationis cauſam efficientem eſſe calorem, materialem verò ſanguinem, ſi enim de cauſa proxima ſermo ſit, vbi ſanguis influxus, & impactus, ſyncerus, & purus ſit, exquiſita oritur inflammatio, ſiue phlegmon; ſi nō ſyncerus, ſed aliorum humorum particeps, phlegmon ſpurium & non exquiſitum fit, & dùm ei miſcetur bilis vocatur phlegmon Eryſipelatodes, ſi pituita ædematodes, ſi melancholia ſcirrhodes. Si verò iſtorum humorum aliquis præualet, ab eò fit denominatio, vt Eryſipelas phlegmonodes, ædema phlegmonodes, ſcirrhus phlegmonodes.

Cauſa antecedens, eſt ſanguis auctus & excalfactus in aliqua parte, vnde tranſmittitur, vel, quod frequentiùs eſt, ex vniuerſo corpore, vt in plethorico affectu: dum enim venæ ſanguine

guine immoderatè replentur, cogitur natura ſanguinem, veluti quid ſuperfluum ad partem aliquam vel laxam, & imbecillam, vel plùs iuſto excalfactam, vel dolore affectam effundere. Porrò, cum materia inflammationis ſit ſanguis copioſior, quàm pars poſtulet, quem Galenus ait, influere, alijs particulis, aliquando mittentibus; atque ea quæ phlegmone laborare incipit, recipiente: aliquando particula quæ affligitur hunc ad ſe trahente. Partes quæ mittunt aliàs, vt copia ſuperuacuũ, vel vt qualitate moleſtum, aliàs vtroque nomine, ſuccum propellunt: quæ attrahunt, ea morboſo calore trahunt. Porrò in doloribus incipit quidem cauſa ab eo, quod affligitur; ſed quicquid eſt, phlegmonis ſuperpoſitæ partes efficiunt. Gal. 13. mèth. c. 13. c. 5.

Modus autem, quo fit inflammatio eleganter deſcribitur à Galeno, quippè *ſanguinea calidavè fluxio, vbi in muſculum, aut aliam partem procubuit, primùm maiores arteriæ, venæq; opplentur, aut diſtenduntur; ab ijs verò minores, atq; ità res procedit, donec ad minimas ſit peruentum. In ijs vbi valenter impacta fluxio eſt, nec ampliùs contineri poteſt, partim eius per ipſarum ora, partim per tunicas colatum foras tranſmittitur: tum verò ſpatia ipſa vacua, quæ inter prima ſunt corpora, fluxione implentur.* G de inæq. intemper. c. 3.

Symptomata, quæ plegmonen comitantur ſunt rubor, quaſi qui ex balneis aduenit, aut ex igne, aut quouis alio modo calefactis: calor

vehe-

vehemens, adeò vt æger comburi videatur, & refrigerari deſideret. Venæ quæ priùs latebant, intumeſcunt & conſpiciuntur, fiuntque rubræ, atque aliquantulum nigræ, quia tunc temporis ſanguis non valdè nigreſcit. tenſio ſentitur, non ſolum tactu, quippè etiam pars interior inflammata tenditur, & in ea æger de tenſione quæritur, ſed etiam alia ratione. Pulſatio etiam adeſt, ſed non ſemper, nam membranas, Galenus ait, vt quibus nullæ ſunt arteriæ, non pulſare, rationi conſentaneum eſt, quemadmodum neque cutem, etiamſi vehemens adſit inflammatio: atq; eadem ratione neque adenes, quibus nullæ ſunt arteriæ: ſed huiuſmodi partes, cum inflammatæ ſunt, vnico tantum doloris modo vexantur, nempè extenſionis: quippè huiuſmodi doloris ſpecies à nullo ſentientium corporum, in inflammatorijs diſpoſitionibus, ſeparari poteſt. Proindè rectè dixerunt omnes ferè medici, quod inflãmatis partibus accidit, vt rubeſcant, tendantur, renitantur, intumeſcant, & doleant. Verùm non omnibus, ſed his duntaxat accidit pulſus, quæ arterias habent notatu dignas, & partem ſenſu præditam, aut, vbi ad notabilem magnitudinem inflammatio attollitur: tũc enim pulſatorium dolorem ſentiũt laborantes, vel nullo exiſtente ſenſibili vaſe, in affecto corpore.

G.2. loc. affect. ca. 4. c. 7.

Sed iam ad Eryſipelas deuenio, quod ignis ſacer etiam appellatur, licet Celſus ignem ſacrum

crum ſeparet ab Eryſipelate. Hoc ex Galeno fieri dixi, vel ex ſanguine ex bile calidioribus, quàm oportet, vel ex ſanguine tenuiſſimo. Ex quo, liquet Eryſipelas, ſi ex ſanguine fiat tenuiſſimo, ſola materiæ tenuitate à phlegmone differre, ſi ex bile & ſanguine, eſſe phlegmon compoſitum, non verò Eryſipelas. Hoc tamen longè aliter ſe habet, nam tùm ſanguis, qui cum bile mixtus efficit Eryſipelas, tùm ſanguis tenuiſſimus, ex quo ſolo Eryſipelas efficitur; eſt potiùs (ita Galeno ſe explicante, in libro de tumoribus præternaturam) *ſanguinis ichor, quem* (vt idem Galenus alibi ait) *bilem rubram appellant medici, quàm verus ſanguis*: fit namque ex vero ſanguine dùm propter exceſſum caloris funditur, attenuatur, & fibris priuatur. Itaque cum Galenus, ex tenuiſſimo ſanguine, Eryſipelas fieri dicit, in libro ad Glauconem, intelligite Eryſipelas ex ichore ſanguinis, eſtq; exquiſitum Eryſipelas; cum verò ibidem ex ſanguine & bile calidioribus quàm oportet, Eryſipelas dicit, accipite ex eodem ichore moderante bilis acrimoniã. Fit etiam Eryſipelas ex bile pallida, pallidam dico, quæ ſero multo eſt diluta, ac proinde minùs calida quàm flaua, ſic Galenus ſæpiſſime Eryſipelas bilioſum tumorem ſolet appellare, & hoc Eryſipelas bilioſum aliquãdo cum herpete non exedente, confundit. ita varijs modis loquutus in eas nos anguſtias detrudit,

G. de tum. præt. natur. c.9.

G.6. epid. ſect.5. com. 14.

G. 14. met. c.2.

D vt

vt quæ eius fuerit ſententia, magis diuinare, quàm cognoſcere poſſimus: neque enim vnquam ſe de hoc, aut de illo Eryſipelate loqui declarat, quod ſaltem facere debuiſſet, quando omninò in Eryſipelate ſanguinis miſſionē prohibet, quæ quidem, vt in merè bilioſo non conuenit, ita in alio quod ex ſanguine tenuiſſimo fit, aut in bile ſanguini feruentiſſimo admixta, rectè adminiſtratur. Imò verò, cum ex ſanguine per vlteriorem excalfactionem fiat bilis ſemper (etiam in Eryſipelate bilioſo) parca ſanguinis miſſio conferre poterit veluti refrigerans auxilium; neque verò, ſi parcè ſanguis mittatur, timere poſſumus, bilem reddi, ſine fræno. nam ſatis adhuc ſanguinis, & magis refrigerati relinquitur à quo bilis queat refrenari.

G. 14. met. c.3. & 2. ad Glauc.c.2.

Exercitatio de paraphrenitide ex conſenſu diaphragmatis.

PHrenitis inflammatio eſt cerebri, aut membranarum eius; Vtrum verò inflammationis nomine phlogoſin, hoc eſt, flammeā diſpoſitionem, an abſceſſum neceſſariò ſit accipiendum, & de alijs ad phrenitidis naturam ſpectantibus, alibi pertractandi occaſio dabitur. Nunc eam à paraphrenitide diſtinguere duntaxat eſt animus; diſtinguitur autem, quia phrenitidis eſt affectus iam incerebro; aut mem-

membranis factus, licet priùs per contenſum inceperit; ita, vt, licet priùs per ſympathiam ſit exorta, non dicatur tamen phenitis, niſi poſtquam iam eſt per idiopathian. At paraphrenitis per conſenſum duntaxat eſt, & delirium appellatur.

Dignoſcitur phrenitis à delirio, ſeu paraphrenitide inprimis ferocitate, quippè vt Galenus ait, quæ calidis febribus ſunt deſipientiæ ferocitatem non habent, ſicut phreniticis appellatis id ineſt. Cuius rei hæc poteſt afferri ratio, quò maior aduſtio in contentis cerebri adeſt, eo maior ſit furor, in phrenitide autem vera, maiorem patitur aduſtionem humor in cerebro exiſtens, quàm ſit calor fuliginum illuc aſcendentium. Secundo, diſcernere poſſumus phrenitidem à paraphrenitide, perpetuitate delirij, quippè in phrenitide deliriũ eſt continuum, in paraphrenitide non item, ſed in augmento febris delirium accedit, quando verò remittitur calor, remittitur etiam, aut tollitur deliratio id quod Galenus confirmat.

G 1. prorrh. com. 25.

G. 5. loc. aff. c. 3. & 2. eiuſd. c. vlt.

Cæterùm hoc ſignum non eſt infallibile: quamuis aliquis poſſit dicere, in febre continua, licet febris ſemper adſit, non tamen ſemper tanta adeſt fuliginum, aut caloris traſmiſſio ad caput, quanta ſufficiat ad concitandum delirium potiſſimùm in declinatione, in qua adeſt quidem febrilis calor, nec deeſt aſcenſus fuliginum; nihilominus tamen paucitas facit,

vt æger non cogatur delirare: quamuis, inquam, hoc ſit verum, nihilominus poſſunt aliquando, vel in ipſa declinatione febris, fuligines non ſolum moueri per ambitum corporis, ſed etiam ad caput, & tunc non remittētur delirium, licet febris remittatur.

Reſpondet, hoc non tollere quominus dicamus delirium paraphrenitidis remitti ad remiſſionem febris, nam in eo caſu, cum ſcilicet multæ fuligines calidæ etiam in rimiſſione febris remittuntur ad caput, non dicitur febris in cerebro remiſſa, ſicut neque calor. Sed nimis latè febris nomine vult vti, vt ſcilicet febres appellet intemperantias calidas cuiuſlibet membri. At cum ſimpliciter & ſine addito febrem dicimus, eam intelligimus, quę procedit à corde. Et ſic remiſſo hoc vniuerſali affectu licet cerebrum adhuc ſuam caliditatem ſeruet ſemper dicitur febris remitti. Deinde ſi iſta expoſitio reciperetur, quæ nam differentia eſſet inter veram phrenitidem & paraphrenitidem? non ne etiam phreniticorum febres tertianarias habent exacerbationes? maximè fiunt quippè à bilioſo humore. Iam ergo in vera phrenitide erit febris remiſſa, & delirium dicetur remanere propter calorem remanentem in cerebro, quod quidem verum eſt, & ſi eodem modo dicetur de paraphrenitide nulla erit inter vtramque differentia.

Sed pergo vlterius & in mentem reuoco,

febres

febres continentes non ne iſtæ poſſunt eſſe cum delirio? & tamen non ſequuntur remiſſionem febris, quia in continentibus nulla datur remiſſio. Hac ratione conuictus ille confugit ad alia ſigna, quæ ſimul eſſe debent, vel vt eſt ferocitas, de qua ſuperius diximus.

Eſt tamen quod eum arguam, qui cum fateatur delirium poſſe aliquando, licet à febre pendeat, eſſe continuum, vnde cogimur ex alijs quærere an ſit vera phrenitis, nihilominus delirium ex inflammatione ſepti tranſuerſi, quod continuum eſſe omnes admittunt, ille negat. Pendere à febre, ait ille, & non eſſe veram phrenitidē ex alijs ſignis cognoſci. cur ita? nempè quia febris poteſt eſſe continens, quæ nō habeat remiſſionem ſecundum quàm etiam delirium remittatur. At ſi quæram, cur in febre, quæ non remittitur, non remittitur etiam delirium, neceſſario reſpondebit; quia non remittitur etiam multitudo fuliginū, aut caloris. At dicam ego, non ne poteſt dari inflammatio in aliqua parte, quæ propter aliquas conditiones, ſiue manifeſtas, ſiue occultas tantum habeat cum cerebro commeatum, vt nunquam deſinat fuligines ſatis multas illuc tranſmittere? Certè ille occultam analogiam inter ſeptum & cerebrum, vel non negat, vel ſaltem impugnari nō poſſe fatetur. Cur igitur non poteſt delirium ex ſepto tranſuerſo eſſe perpetuum, & hoc habere parti-

 culare

culare membrum illud, quod autogenum ideſt ſui generis eſſe omnes norunt.

Argumentatur ille ſic; ſympathia inter duo membra vel fit, quia ex vno in aliud tranſmittitur id, quod non oportet, vel quia non tranſmittuntur fuligines, vel & præter hos duos modos non datur alius, fit ergo quia tranſmittuntur fuligines, vel calor. at iſta duo ſiue à ſepto proueniant, ſiue ab alia quacumque parte eiuſdem naturæ ſunt. Duo tamen hic inuoluit omninò reijcienda, videlicet præter duos ſympathiæ modos nullum alium dari, & fuligines, aut calorem ex quocumq; membro tranſmittantur, eiuſdem naturæ eſſe.

Quod attinet ad primum præter duos prædictos ſympathiæ modos alios conuenit ſtatuere. Sabinus referente Galeno tres modos afferebat; fit namque conſenſus, vel propter viciniam, vel propter familiaritatem generis, vel propter familiaritatem operis. Generis vt quando neruoſum cum neruoſo, arterioſum cum arterioſo conſentit, operis vt mammæ, & thorax partibus genitalibus. Ego ex vniuerſa Hippocratis & Galeni doctrina quatuor modos aliter reperio, vnum per communitatem vaſorum, vt vterus, qui neruorum arteriarumque myriadibus cum cerebro & corde colligatur, alterum propter continuitatem partium, ſic labrum tremens vomitiones antecedit, & ventriculi ore vitiato

G. 3. epid. ſect. 1. ægr.

to accidit in lingua prauus ſapor, & balbi alui profluuio maxime capiuntur. hæc inquam omnia accidunt propter continuitatem vnius tunicæ labra, linguam, palatum, eſophagum, ventriculum, inteſtina, veſtientis. Tertium propter rectitudinem tantopere ab Hippocrate celebratam; ideo ex iecoris affectu ſanguis ex dextra nare egreditur: ex ſiniſtra propter lienem, ſic etiam hemicranea vniuſcuiuſque partis capitis ad ſuum viſcus ſibi recto tramite reſpondens refertur. Quartum propter occultam, quandam analogiam, quam impugnare quidem nemo poteſt, fateri autem vel inuitus ex effectibus tenetur. Hoc maximè contagio indicari videtur: nec enim eſt cur ad morboſum corporis apparatum confugiatis, nam accidit multoties eos affici, quibus corpus eſt valdè purum, impura autem corpora non ita, forſitan ad maiorem reſiſtentiam id referetis, ſed robuſtiora corpora valentiùs afficiuntur; quid ergo iſta reſiſtendi vis iuuat. Quare neceſſarium eſt, vt aliquid occultum eſſe poſſe inter duo corpora fateamur, neque pudeat aliquando ad qualitates occultas confugere, ſicut enim ſemper ad eas ſe recipere philoſophum, tamquam ad ignorantiæ aſylum, turpe quidem eſt, ſic eas omnino velle fugare temerarium valdè.

Sed videamus quid Galenus ſenſerit. Sanè manifeſte delirium ex ſepto tranſuerſo per- Gal. 5. loc. affec. c. 3.

petuum dicit,his verbis. *Ab aliarum verò partium nulla perpetuum delirium procedit, dempto ſolo ſepto tranſuerſo, cuius vitio excitatum delirium parum à continuo diſtat, adeo vt veteres putauerint hac parte inflammatione affecta, homines phreneticos euadere.* Sic ille. cæterum cum delirium ex ſepto parum à continuo diſtare dicat, ſcrupulum ingeſſit Carrero, ne forſan exiſtimauerit habere quidem interruptum delirium, eos qui propter ſeptum tranſuerſum inflammatum delirant, ſed proximum continuo. Valleſius illud parum expungendum eſſe cenſet. Ego expungendum non cenſeo,ſed dicendum,delirium à ſepto tranſuerſo parum diſtare a phrenitide, quàm vocat delirium cõtinuum, quoniam principaliter continuum eſt, quippè habet cauſam in cerebro exiſtentem,parum inquam diſtare à phrenitide,quoniam licet delirij continuitas quodammodo conuenire videatur, nihilominus in alijs non conueniunt, vt in reſpiratione, quæ in phrenitide eſt rara, & magna, in delirio ex ſepto tranſuerſo inæqualis, nempè ſi excedat delirium,magnitudini & raritati magis proxima; ſi delirium ſuperet,magis affinis frequentiæ, ſi ęqualiter,vtrumq; malum vrgeat,modo hanc, modo illam profert differentiam. Differt etiam delirium ſepti tranſuerſi à phrenitide, quia cum hypochandrij retractione propter inflammationem fit, in phrenitide

autem

autem nil tale accidit.

Item 4. de præſag. ex pulſ. agens de inflammatione ſepti tranſuerſi, ait, *hi delirabunt neceſſariò pulſumque habebunt inſigniter durum, itaque etiam paruum*. Sic ille. Si igitur neceſſariò, ergo perpetuò. Erit tamen qui dicat, neceſſarium & perpetuum eſſe, vt ex iecoris inflammatione delirium fiat, ſed quod nam delirium? non quidem continuum. Verum ſi legatis verba, quæ in fine capitis ſcripta ſunt, vos, ab omni dubio liberabunt. Cum enim in omnibus faciat pleuritidem cum inparem inflammatione ſepti; adiungit, pleuriticos minus quàm quibus inflammatum eſt ſeptum tranſuerſum, delirare. Vnde colligetis delirium pleuritidis eſſe minùs, hoc eſt minùs cõtinuum, in hoc namque magnitudo aut paruitas delirij ſpectatur. Non eſt ergò dubitandum in doctrina Galeni, ſepti tranſuerſi inflammationem cum delirio continuo accidere, & in hoc cum vera phrenitide conuenire, licet in alijs ab ea diſcrepet. Hoc perſuaſit nonnullos, vt delirium ſepti tranſuerſi occaſione factum, non vt alia deliria paraphrenitidem appellari, ſed peculiari quodam vocabulo pſeudophrenitidem, in quo non eſt immorandum, inaſſis enim eſt de nomine controuerſia.

G. 4. de præſag. ex pulſ. c. 5.

Exer-

Exercitatio de phrenitide.

QVoniam phrenitis eſt cerebri inflammatio, ſunt aliqui, quibus placet inflammation s nomine cum ijs, qui Galeno fuerunt antiquiores in hoc caſu, phlogoſin intelligere, ita vt ſufficiat ardor ſanguinis, qui in venis, & arterijs per meninges, & cerebrum diſperſis continetur, vt eueniat delirium continuum, quod ſimul cum febre, eſt ſignum pathognomonicum phrenitidis. Alij niſi humor, ſiue ſit ſanguineus, ſiue bilioſus, abſceſſum, hoc eſt tumorem præternaturam faciat, non admittunt appellari phrenitidem. Verum quidem eſt priores illos, qui non neceſſariò tumorem requiri aiunt, nō ſimplicem phlogoſim ad phrenitidem inducendam admittere, ſed cum putredine; ita tamen, vt, licet non faciat abſceſſum, poſſit facere phrenitidem. Dicunt iſti, in quorum numero eſt Carrerus, pluribus modis poſſe humorem in cerebro, meninginibuſque eſſe ſine tumore. Primo per irrigationem, & tunc humor erit in ſuperficie contentus. Secundo ſi humor iam ſit non in ſuperficie, ſed intra poros ſubſtantiæ cerebri, abſq; eo, quod tanta ſit quantitas, vt poſſit diſtendere, & tumorem excitare, ſolumq; ſit ea quantitas, quę occupet poros ſecundum eam diſtantiam, quam habent latera ex propria natura. Vterque modus colligitur ex Galeno, qui hunc ſecun-

G. 1. prorrh. ſect. 1. com. 33.

cundum, appellat deſipientiam hecticam, & comparat eam, lanis quæ nimis ſunt colore imbutæ à tinctoribus, ac vix eluibiles. Tertio ſi in vaſis tenuis meningis cõtineatur humor, ibique putredinem ſubeat. His tribus modis poſse aiunt phrenitidem fieri citra tumorem præter naturam.

Cæterum quoniam mihi oppoſita ſententia verior videtur, antequam ſuis conſtituam fundamentis, hos tres modos inanes eſſe, & à Galeni mente prorſus alienos monſtrabo. Et quod attinet ad primum modum; Galenus declarans progreſſum humoris, à quo fiunt phrenitides, ita incipit *Phrenitide igitur ipſa, ex bilioſo ſucco generationem habente, cum is in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipſius, nondum toti cerebri corpori permixta, tumultuoſæ fiunt deſipientiæ.* Ex his Galeni verbis, quid aliud colligere poteſtis, quàm bilis delapſu in cerebro fieri tumultuoſas deſipientias, hoc eſt deliria ob calidam ſcilicet diſpoſitionem cerebri, ideo ait *qualitate ipſius*, quaſi dicat, fieri à caliditate bilis phlogoſim cerebri, quæ diſpoſitio quædam ſit, poſtea qualitate magis radicata ſit calor habitualis, & hunc vocat deſipientiam hecticam, hęc autem tanta caloris immerſio, quam ille tincturæ lanarum comparat, non video quomodo poſſit fieri ex ſola ſimplice alteratione.

Ad hoc reſpondet non fieri à ſimplice altera-

ratio-

ratione, ſed à putredine, verumtamen humorem putreſcentem, & in cerebrum delapſum non eſſe tantum, qui poſſit cerebrum diſtendere, & tumorem excitare, ſed eſſe ſolum ea quantitate, quæ occupet poros ſecundum eorum naturalem amplitudinem. At miraculum quidem eſt humorem putreſcentem effuſum, ſeu potius expulſum, nec à natura regulatum poſſe ita commodè per omnes meatus, per omnem cerebri molem diſtribui, vt non magis in vnam, quam in aliam partem inclinet.

Tertius etiam modus non eſt aptus efficere phrenitidem, cum ſcilicet humores biliosi in meninginibus continentur, ibiq; putredinem ſubeunt. Nam ſi ebullitio, & putredo non tāta eſt, quæ humores aliàs frequentiſsimos in aliquam partem extra venas effundat; ſi rurſus calor in cerebro præter naturam contractus non eſt tantus, qui poſsit humorem iſtum extra venas ad ſe trahere, profectò nondum cauſa eſt ſufficiens ad phrenitidem excitandam. Si verò dicatis in cauſone humores intra venas vehementer ebullire, ac putreſcere, & corpus validè incaleſcere; neque tamen propterea bilem extra venas effluere. hoc ego negabo, effluit quidem, aliàs neque ſitis, neque linguæ tinctura, neque tinctura fæcum bilem atteſtarentur, & aliquando, imò vero pluries, hæc bilis effuſa inflāmationem internam parturit, & hinc eſt, quod raro, ſine interna inflam-

flammatione,fiunt febres ardentes(inflamma-tionis nomine (etiam Eryſipelas comprehen-do) quod ſi interdum non fit inflammatio, id propterea accidit, quod bilis non in vno loco colligitur, ſed per plura diſpergitur.

Denique Galenus hæc præuidens ſe declarauit inquiens. *Sin autem in cerebrum, eiuſque membranas ſit impacta* bilis *phrenitides inducit, verum prius quam inhæreſcat, perfluens venas in his ſitas, non phrenitides, cæterum quæ in vigoribus ſunt febrium deliria efficit.* Quid clarius dici poterat ad oſtendendam differentiam inter delirium & phrenitidem? vt ſit delirium ex calore bilis per cerebri ſubſtantiam ſparſæ, phrenitis autem ex eadem adhærente, ad hærere autem nequit, quin excitet eryſipelas. quis enim imaginatione concipiet bilem effuſam, & alicui membro inhærentem, ſimulque putredine efferueſcentem, quæ eryſipelas non faciat?

G. 1. epid. ſect. 2. c. 73.

Reſpondet ad hanc Galeni authoritatem, bilem, *priùs quam inhæreſcat*, non dici quaſi, *priùs quàm faciat tumorem*, ſed, *priùs quàm ſit per modum permanentis*, oportet enim eſſe impactam bilem, vt dicit Galenus, quæ verba independentiam ſignificant ab alio affectu, quibus opponitur non inhærere. Cæterum cæcus iſte non videt, non poſſe bilem putreſcentem inhærere, quin faciat eryſipelas. Omitto alias ſubtilitates quibus ſe tueri conatur, ne

videar

videar in eius nænias incidere.

Vniuerſa eius ratio conſiſtit in eo, quod citra cerebri inflammationem poſſunt dari ſigna pathognomonica phrenitidis, nempè delirium continuum cum febre. Sed oporteret probaſſe hęc eſſe pathognomonica ſigna phrenitidis, pathognomonica ſigna ſunt, quæ conueniunt omni ſoli, & ſemper, ita vt ſi alteri conueniant, vel non omni, vel non ſemper non erunt pathognomonica. Da mihi melancholicum febrire nunquid hoc eſt impoſſibile? minimè. At tunc erit delirium continuum cum febre, quamuis autem melancholicus affectus definiatur delirium ſine febre, tamen non eſt vera definitio; ſed quædam deſcriptio, qua ponitur id in quo differt melancholia à phrenitide, ſcilicet quod melancholia poſſit eſſe ſine febre, non autem phrenitis. hoc tamen non tollit poſſe melancholia febrem habere adiunctam.

Longe meliùs videtur dicendum, non poſſe phrenitidem fieri citra cerebri, aut membranarum eius abſceſſum: eſt enim morbi genus (vt inquit Galenus) toto genere exitiale, non tamen ita eſſe ſi citra inflammationem conſiſteret. Nec valet Carrerij reſponſio eſſe ſcilicet exitiale, quia eſt in membro principe, non valet inquam, nam etiam in membro principe poſſunt eſſe morbi non exitiales, quippè in cerebro ſunt etiam catarrhoſæ diſpoſitiones

G. 1. progn. 23.

neque

neque ſunt lethales. Præterea ex eodem Galeno phrenitis non tantum à calidis ſuccis habet ortum, ſed & ſupra id phlegmonem in cerebro, & eius inuolucris excitat. Reſponde ille Galenum tradere cauſam & morbum, cauſa eſt calidus humor, morbus eſt ardor ſiue intemperies, & ita vtrumque coniungens dixit, non ſolùm ex calidis ſuccis habere ortum, ſed excitare phlegmonem, ideſt ardorem, & diſtemperiem calidam in parte. O fatuam interpretationem, quæ dupliciter à vero toto cælo aberrat. Primo quia ſtatuit humorem calidum eſſe cauſam calidæ intemperiei, cum tamen nihil prohibeat multoties calidam intemperiem eſſe cauſam cur humor incaleſcat, & alias etiam vnum non eſſe cauſam alterius, nam cum diſtinguimus nudam intemperiem ab intemperie cum materia, dicimus intemperiem cum materia ſimul, ſed non dicimus vnum eſſe cauſam alterius. Præterea ſi ibi agit de ſolo ſymptomate, hoc eſt delirio ad delirium efficiendum ſufficit, calida intemperies, ſi loquitur de phrenitide morbo, ad morbum conſtituendum, non oportet dicere quod concurrat & morbus & cauſa morbi: quippè erit nugatio, dicit igitur phrenitidem, vt morbus eſt, conſtare ex alia cauſa maiore quàm conſtet paraphrenitis, nam paraphrenitis & phrenitis poſſunt in ſymptomate conuenire, vtrumque eſt delirium, vtrumque

G.2.cauſ. ſymp.c.vlt.

poteſt

poteſt eſſe continuum, quid ni? cæterum paraphrenitis ita eſt continuum delirium, vt poſſit non eſſe continuum: In phrenitide non ita ſed ſemper eſt continuum. In cauſa non conueniunt, nam paraphrenitis fit ab intemperie nuda, phrenitis ab intemperie cum humore abſceſſum faciente.

Quod autem ſit phrenitis cum inflammatione oſtendit eius pulſus, qui iuxta Galeni ſententiam, & veriſſimum experimentum, eſt durus, & talis non eſſet, niſi adeſſet inflammatio. Reſpondet, Pulſum durum fieri in phrenitide non omni, verum in ea, quæ cum inflammatione fit, affertque Auicennam dicentem & ipſorum pulſus ſunt duri propter eſſentiam apoſthematis in membro neruoſo duro. Adiungit etiam, non eſſe verum, pulſum durum requirere neceſſariò tumorem præternaturam: ſiquidem ex calore & ſiccitate poſſunt pulſus tales prouenire, quod Galenus velle videtur dum ait. *Si vero non ſolum ſit calidius, ſed & ſiccius præternaturam, ſtatim vtique etiam, meninx ipſa tenuis, quæ tegit cerebrum, in eadem venit affectionem, vnàque cum illa cuncti nerui, atque arteriæ pulſum duriorem facient, quod eorum tunica contendatur, atque deſiccetur.* Ego vero perſiſto pulſum durum eſſe perpetuum ſocium phrenitidis, neque vlla eſt, quæ tali careat pulſu quemadmodum, & pleuritis, & peripneumonia. Galenus ad

G.4. caut. palſ. c.14.

G.4. præſ. expulſ. c.8.

ſiccita-

ſiccitatem meningis hoc iure optimo retulit, ſed tanta ſiccitas cum calore, quæ pulſibus duritiem afferat non niſi in inflammationibus contingit. Sed de his ſatis.

Exercitatio de rigore.

EXtra aream medicam Latinæ loquutionis proceres *rigere*, accipiunt pro *indurari*, ſic Virgilius, *veſteſque rigeſcunt*, vbi Seruius *durantur, vt frangi potius, quàm ſcindi poſſe videantur*, Liuius & Martialis *rigentes*. oculos appellant, qui non circumaguntur. Quintilianus corpus nullo modo flexum *rigidum*, nuncupat. Hæc Quintiliani phraſis vobis poterit in mentem adducere ſpeciem conuulſionis in qua collum nec ad anteriora nec ad poſteriora flecti poteſt & vocatur τέτανος, in hoc affectu collum *rigere*, dici poteſt, imò ita Celſus appellat & ſimiliter quodlibet membrum ob conuulſionem inflexibile redditum, ſi rigidum dicatis etiam intra medicos fines tolerabilis eſt loquendi modus. Cæterum conuulſionem non libens appellarem rigorem, (quamuis autem de vocabulis quæſtio non ſit habenda) oportet, nihilominus, aliquando vocabulorum curam gerere, ne in doctrina oriatur confuſio. Celſus vbicumque apud Hippocratem, ſe ſe offert ῥῖγα tranſtulit horrorem. Verum maioris momenti eſt Galeni authoritas, apud quem

Virgil. 2. Georg.

G. 2. ſumpt. ca. 5. 10. met. c. 4.

quem rigor nomen græcum fere retinens, & horror iuxta magis & minus differunt; differre dico, ſi rigor in ſuo rigore, hoc eſt exactiſſime accipiatur, nam alias apud eundem Galenum late ſumitur rigoris vocabulũ vt etiam horrorem comprehendat e.g. ad Glauconem dum loquitur de tertianæ rigore ita ait *rigor autem veluti ſi à re aliqua acuta magis quam frigida, cutis pungeretur: cum hi qui quartanam, aut quotidianam patiuntur potius frigidum rigorem ſentiant*, appellauit *rigorem*, ſed addidit *frigidum*, ad differentiam rigoris exquiſiti, qui ſenſum infert magis rei pungentis quam frigidæ, & alibi, rigorem tertianæ & quartanæ ſimiliter adiſtinguens, ait, *& ob eam rem præcedens eas rigor nequaquam ſimilis eſt, ſed in tertiana quaſi pungens, ac vulnerans ſenſum, efficientem cauſam iudicat? in quartana autem quaſi refrigerans*.

G. ad Glà. lib. 1. c. 5.

G. 2. diff. feb. c. 1.

Externæ cauſæ, & internæ rigorem pariunt; tam hæ, quàm illæ poſſunt eſſe aut calidæ, aut frigidæ, vt Galenus ait. Ab externis cauſis frigidis rigor fit, vti ſiquis frigida aqua per corpus aſpergatur, aut in frigidæ aquæ labrum mittatur, aut corpore nudo aëri frigido exponatur. A calidis, vt ſi acre medicamentum vlceri imponatur, aut feruentem aquam quis ſuper inijciat aut ignis ſcintille incutiantur, atque hæc de externis cauſis. Rigor autem qui ab internis accidit & ab Hippocrate *ῥίγος νοσε-*

G. 2. ſympt. cauſ. ca. 5.

ρὸν

ρὸν καὶ ῥῖγα νοσώσης i. rigor morboſus aliquando autem ῥῖγος αὐτόματον, ideſt ſpontaneus appellatur. cauſam habet etiam vel calidam, vel frigidam; calidam nempe bilioſum humorem; frigidam, ſcilicet pituitam illam, quam Praxagoras vitream appellauit: quamuis idē Galenus 2. de cauſ. ſymptomatum exquiſitè loqui volens pituitam iſtam magis horroris, quam rigoris cauſam ſtatuit. c. 5.

Sed iam ad rigoris naturam & cauſas magis accedamus, & rigorem cum Galeno dicamus eſſe inæqualem totius corporis concuſſionem, & conquaſſationem. Differt autem hic motus à motu conculſionis, palpitationis, & tremoris, quia non eſt totus præternaturam, vt conuulſio & palpitatio, ſed fit & à cauſa præternaturam irritante, & à natura ſe ſe exonerare tentante, nec pertinet ad facultatem animalem veluti tremor, ſed ad naturalem expultricem. Hinc iam intelligatis ad rigorem efficiendum cōcurrere cauſam vnam naturalem, nempe vim expultricem, alteram præternaturam, hoc eſt celer motus rodentium excrementorum. Dixi celerem motum, vt inſinuem rigores à delatione bilioſi humoris ſemper fieri, cuius eſt proprium velociter moueri non à pituitoſis, qui motiones habent tardiores: quippè frigidi ſucci nec impetum inferre, nec celeriter moueri ob ſubſtantiæ lentorem, & craſſitudinem queunt, nec præ- G. 1. ſympt. cauſ. ca. vlt. 10. meth. c. 4.

G.5.aph. 20. tereà non ita vt bilioſi mordent, quia (vt Galenus teſtatur) ſi proprie vtamur vocabulo calidum mordax eſt, ſenſus autem ſimilitudine frigidum mordax vocatur.

Exigitur autem in rigore celer motus, impetus humoris, mordacitas eiuſdem, & alia quæ habetis apud Galenum in methodo *con-* G.10. met. cap.4. & 3. criſ.c.11. *cuſſio quidem illa ſuccedit propter eorum, quæ feruntur, excrementorum, cum multitudinem, tum acrimoniam, tum impetus celeritatem, tum laborantis virium infirmitatem. Nam & quæ multa paucis & quæ qualitate ſunt inſigni, ijs quæ ita non ſunt, mordent magis: pari modo & quæ cum celeritate feruntur, ijs quæ tarde. Iam vires vbi valentes ſunt omnia contemnunt, vbi infirmæ ſunt redditæ, à quouis offenduntur. Horror fiet, vbi & qualitas eorum, & impetus velocitas eſt remiſſa, tum copia minor, ac potentiſſimum cum vires triſtanti obſiſtunt.* Hactenus Galenus; ex cuius verbis addiſcite, quo motus humorum, vaporumque fuerit validior celeriorque & natura mordacior, eo concuſſiones fore vehementiores. Quare Auicenna, Auic. 1.41. tract.2.c.6. inquiens, *de cauſis vehementis rigoris eſt vehementia virtutis expulſiuæ, in lacertis, & propter illud quanto eſt cauſa rigoris viſcoſior*, vel eſt emendandus iuxta marginalem correctionem, & vbi habet *viſcoſior* dicendum *mordacior*, vel omnino reijciendus ſimul cum Auerroe, Auerr.3. coll.30. qui ex frigore maiores rigores fieri exiſtimat,

ſtimat, tum quia ex frigido aëre non ex calido rigemus, tum etiam quia rigor fit contractione caloris, calori autem magis frigus, quàm calor opponitur. Sed ſophiſmata ſunt hæc Auerroi valdè familiaria. Nam aëris frigiditas eſt externa rigoris cauſa, nos loquimur de internis, quamuis autem innato calori magis oppoſitum ſit frigus quam calor, nihilominus in corpore viuente non poteſt dari frigiditas tanta quæ rigere faciat. Neque vero vnquam pituitoſus ſuccus rigoris cauſa erit niſi ſit pituita, quam Praxagoras vitream appellauit, vtpote quæ mordax eſt, aut alia quæuis putreſcens, quæ licèt potentia ſit frigida, tamen putredine calorem præternaturam actu habet.

Feruntur ergo per membra ſentientia vapores, aut humores qui concuſſionis ſunt cauſa. Vapores ne? imò maximè. Mordentem halitum, & ſuccum vbi per ſenſibilia corpora fertur horrorem rigoremvè excitare dixit Galenus, dixit mordentem halitum, & ſuccum, non vtrumque ſimul, ſed alterum eorum; multoties enim particula, &, diſiunctiua eſt non coniunctiua, & flatuoſam ſubſtantiam per ſe ſolam rigorem poſſe efficere, teſtantur Hippocrates & Galenus, quamuis autem Galenus multoties bilem delatam per habitum corpus rigoris cauſam ſtatuat, & rigore dicat naturã à bilioſis excrementis exonerari, nihi- G. 10. met. c. 4. H. lib. de flat. Gal. 2. ſymp. cauſ. c. 5.

E 3 lominus

lominus non negaret, putridas etiam fuligines rigoris cauſam eſſe, quod verum eſſe patet in ſuppurationibus ſiquidem ab acrimonia puris acres fuligines eleuatæ rigorem efficiunt. Feruntur, inquam, hæc acria excrementa per membra ſentientia, hoc eſt per neruoſum, muſculoſumque genus. Nam cum (vti diximus) rigor ſequatur celerem motum acrium humorum, & humoris intra venas recluſi (ſi non rigeant) non ferantur veloci motu, neceſſario materia extra venas debet egredi; cum rurſus exquiſitus partium ſenſus requiratur, aut pungentis humoris moleſtiam ſentiat, & venæ vel non ſentiant, vel obtuſe nimis, ac præterea humores aſſuetudine quadam reddantur vaſis familiares, & tandem ſanguine permixti magnam mordacitatis partem amittant. recte dicimus materiam acrem, vt rigorem faciat, debere per habitum corporis deferri.

Hin colligetis id quod Stephanus Athenienſis in lib. 1. Galeni ad Glauconem optimè adnotauit, nempè ſolas febres putridas rigorem comitem habere, nam hecticæ, & diariæ non habent irritantem materiam nec effluxum acrium fuliginum. Colligetis amplius febres continuas, quarum minera eſt intra vaſa, non habere ſecum rigorem neque horrorem, quod Galenus non ſiluit. Cum enim continuarum materia intra vaſa incluſa, nec mo-

tum

tum habeat celerem, nec partes valdè ſentiẽtes occupet, quæ duo ad rigorem requiruntur, non habet vnde rigorem concitet. In intermittentibus rigor excitatur, qui ſingulis acceſſionibus repetit, in eis namque materia extra venas defertur, cur autem repetat mox declarabo.

Contingit interdum in prima febris apprehenſione rigorem adeſſe, vt in hac Philini vxore videtis contigiſſe, & in multis alijs ægrotis, quorum hiſtorias narrat Hippocrates, poteſtque febris ſiuè continua proportionalis, ſiue ſynocha hoc eſt continens cum rigore prima die inuadere; neque eſt aſſentiendum Trincauellio contrarium aſſerenti contra experimentum. & rationem. Experimento quidem conſtat, cuius rei fidem facere poſſunt medicinam facientes; hæc etiam Philini vxor, quæ in febrem incidit cum rigore, febrem habuit continuam, & infra Dromeadis vxor febrem ſexta die interimentem habuit, quæ cępit cum rigore, & tertio eiuſdem operis anginoſa apud Bitonem in febrem acutam cum rigore incidit, & quinta die obijt. Nec eſt dicendum mulieres iſtas febribus intermittentibus laboraſſe, quippe perierunt, vt ex Hippocratis decreto, quæ intermittunt periculo vacant. Præterea febris erat acuta, vt acuta intermittens ſola eſt tertiana exquiſita, quæ ſalubris eſt, minime lethalis. Plures alij ægroti

H. ſect. 2. ægrot. 7.

H. 4. aph. 43

fuerunt, quos febris acuta primo die cum rigore inuaſit, qui deinceps in toto febris progreſſu non repetijt. Ratio huius rei eſt, primo impetu delatam aliquam materiam extra venas rigorem excitaſſe, magnam vero materiæ partem intra venas relictam continuitatis febris cauſam fuiſſe.

Contingit multoties in huiuſmodi cōtinuis rigorem ſuperuenire ſalutarē propterea Hip-
H 4. aph. 58 pocrates ait, *à cauſone habito rigore ſuperueniente ſolutio*, non quod rigor refrigeret aut febrem tollat, vt aliqui putarunt, contra quos inuehitur Galenus, ſed quoniam bilis illa, quę in rigoribus extra venas fuit delata, vel per ſudorem, vel per alui deiectionem aut vomitum euacuatur, propterea aphoriſmus ille de rigo-
H. 4. aph. 29 re debet intelligi quem euacuatio aliqua ſubſequatur, adiungite etiam ſi fiat in die decretorio: nam quibus in febribus ſexta die rigores fiunt, difficile iudicantur, & quod de rigore ait de iudicatione intelligitur: ſolet enim rigor iudicationes antecedere, quippe ante euacuationem criticam ſequitur perturbatio, vt ex aphoriſmo, *quibus criſis futura eſt, his nox*
H. 4. aph. 13 *quæ antecedit grauis*, grauitas iſta & perturbatio rigorem, horroremve ſecum ſolet habere. Itaque rigor, vt ſit bonus bonæ criſis conditiones habeat neceſſe eſt. Aliàs ex eiuſdem
H. 4. aph. 46. ſententia. *ſi rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili exiſtente, letbale*. Nempe ſi incidat

cidat

cidat pluries, & nullam ſecum afferat euacuationem ægro debili, lethale eſt, inquam, hoc eſt prauum, ſed prauum, & vt cauſa, & vt ſignum, vt cauſa, quia crebra concuſſione languentis ægri vires omnino proſternit, vt ſignũ, quia cum non ſequatur euacuatio, quæ ſequi ſolet, impotentiam arguit naturæ tentantis expellere, ſed nequeuntis. Hinc intelligetis Auicennæ mentem, quem putant aliqui ſibimet contradicere, cum tamen, ſi ea, quæ in duobus locis diuerſis ſcripſit coniungatis non contradictionem, ſed optimam doctrinam inuenietis, quippe in vno loco ait, *quandoque ſignificant rigor & horripilatio ſanitatem in febribus inſeparabilibus: quoniam ſignificant, quod materia expellitur è venis & egreditur.* In alio. *Paroxyſmi febris inſeparabilis, quæ tepeſcit, & non eradicatur, non incipiunt cum frigore, niſi propter debilitatem virtutis, aut propter profundationem caloris innati, quare refrigerantur extremitates, & illud eſt ſignum malum* ſi refrigeratio in continuarum paroxyſmis eſt ſignum prauum, ſi rurſus rigores afferunt ſecum refrigerationem, cur illic laudauit rigores, hic autem vituperat refrigerationem? Nempe aliud eſt paroxyſmos incipere cum frigore, aliud incipere cum rigore, aut horrore. primum indicat naturam tentare euacuationem contra vires noxias, non tamen perficere poſſe, ſed victam remanere. Secundum ſignificat, non

Auic. a. 4. tra 2. c. 6.

Auic. a. 4. tr. 2. c. 1.

ſolum

ſolum naturam tentare, ſed efficere euacuationem ſenſibilem, ſi ſenſibilis adſit, vel ſi non adſit, ſaltem materiam proieciſſe extra vaſa. Quod quidem ſufficiet cum duabus conditionibus, vna vt vires ægri ſint validæ, altera vt febris remittat de ſua magnitudine alias ægro debili exiſtente, & febre non deficiente tam prauus eſt rigor ſine ſubſequente euacuatione, quam praua refrigeratio.

Sed quoniam dixi rigorem ex ſe non eſſe qui febrilem calorem refrigeret ſed id deberi euacuationibus ſubſequentibus, hoc etiam explicatione indiget. Porro in rigoribus bilioſus humor, qui calidus eſt, cum defertur per partes ſentientes deberet calorem excitare, verum, quia dum mouetur pungit, & mordet has partes ſpiritum cum ſanguine cogit ad interiora retrahi, propterea externa frigeſcunt, ſed vnà etiam interna valdè calent (vt Galenus ait) poſtea acceſſionis progreſſo eædem partes incaleſcunt calore ad eas reuocato, & iterum accenſo tum bilis contactu, & putredine, tum partium ſingularum motu ac vehemente per rigorem facto, vt Galenus inquit; Prædicta tamen materia, ſi intus pellatur vomitu, aut deiectione finiet acceſſionem, ſi ad cutem madore aut ſudore, quod ſi non integre humor ille qui veluti cinis quidã eſt humoris putrefacti, expellatur, ſed in corpore relinquatur, in continuis recidiuam, in intermit-

G. 2. cauſ. ſympt. c. 5. in fine.

G. de rig. & palpit. & trem. c. 6.

termittentibus acceſſionum repetitos facit; circuitus. Non euacuatur autem integre ob multam quantitatem, aut ob qualitatem craſſam, & lentam, aut ob ægrotantis habitum corporis denſum, & ſenſu obtuſo præditum, aut ob ægri naturam delicatam & parum cuiuslibet moleſtiæ patientem, ſi ſtragulis calefacientibus tegi non toleret, ſi ſudorem fluentem interrumpat ſi, & deterſionem conuenientem non admittat, ſi ſe iactet in lecto & membra detegat.

Atque ita rigor febrem finit, hoc eſt ex rigore euacuatio, quæ poteſt aliquando triplex ſimul euenire dicente Galeno, *non raro ſimul intro, foraſque eadem die materiam delatam eſſe ita vt ſudata ſit, & vomita, & deiecta. Cum verò flatuoſa tantum ſine humore ſubſtantia* (inquit Galenus) *vel iuſto calidior, vel frigidior per corpus permeat, vtique horrent tunc quoque aliquando etiam, & cum concuſſu rigent eadem ex cauſa. Nihil tamen ſenſibile his vel vomitur vel ſudatur vel infra deijcitur: vtpotè cum aërea ſint, quæ expultricem vini laceſſunt.* G.3. ſymp. cauſ.c.5. — ibidem.

Tandem, ſine febre rigor ob antiquis non fuit viſus, à Galeno autem multoties obſeruatus non tamen (vt idem fatetur) ita validus ac ille qui legitimas tertianas, quartanaſvè præcedit, aut qui ardentes febres terminat; Solet huiuſmodi rigor vitioſam ſequi victus rationem, cum homines in deſidia ſe repleuerunt, G.2. differ. febr.c.5. 2.Cauſ.ſymptom.c.5. De inæqual. intẽp.c. 8. De rig. trem.palp. c.7.

runt,

runt, aut ſæpe à cibo ſe lauerunt. Cùm vero iſtæ ciborum qualitates frigidioris ſæpe, ac pituitoſioris temperamenti ſint; promptiſſimè, qui ſic ſunt affecti, rigoribus, quibus ægrè caleſcant apprehenduntur. Refert igitur idem Galenus mulieribus magis quam viris iſtiuſmodi rigores accidere. Narrat tandem hiſtoriam adoleſcentis, qui in Alexandria ex palmularum glandibus in magna copia in victu aſſumptis, incidit in rigores, qui ordinatim, ſine febre tamen repetebant, quem victu excalfaciente curauit.

Exercitatio de dolore capitis in febribus.

NEſcio quid melius circa dolorem capitis, qui febribus adeſt, dici poſſit, quam quod Galenus ad Glauconem ſcripſit; quare vos ad ea, quę ibi dicta ſunt, libens remitto. pauca tamen, quæ ex re eſſe arbitror adiungam. Illud primum in mentem reuocans quod Galenus ibidem admonet, dolores capitis, qui ſanguinis fluxum, aut vomitum decretorium ſignificant, non eſſe remedijs profligandos. Neque enim accidens quoddam, ſed bonum ſignum potius ſunt, ſicut & multa alia, quæ ante criſes contingunt, quæ plurimis quidem terrorem incutiunt, bonum tamen quoddam oſtendunt. Sed quomodo cognoſcemus quando ægrotus de dolore capitis conqueritur, an

G. 1. ad Glauc. c. 15.

ſit

ſit prænuntius futuræ criſis, vt eum nulla curationem adhibita relinquere poſſimus?

Porro ſi ſimul cum dolore capitis praua alia ſigna adſint, nihil boni ex eo ſperare licet, verùm multum de futura cerebri inflammatione timere: ſunt autem praua ſigna bilis praſinæ vomitus, deiectæ vires, vrina velut iumentorum, vel etiam nigra, delirium vehemens, difficilis reſpiratio, pulſus intercidens, & his ſimilia. Quod ſi ſine prauis ſignis dolor in febribus adueniat, tunc quidem conſiderare oportet vtrum morbus ſit ex ijs, qui per criſim terminantur, vti ſunt febres ardentes, nam hæ per excretiones ſubitas terminari ſolent; quemadmodum febres lentæ, vel per ſimplicem ſolutionem, vel abſceſſum aliquem terminantur. Si morbus ſit in ſtatu, in quo perfectæ fiunt criſes, ſi ſit in die decretorio. cumque perſpectum vobis ſit morbum terminandum eſſe per criſſim, tunc quoniam, vt inquit Galenus, dolor capitis commune ſignum eſt tum ad vomitum ſignificandum, tum ad ſanguinis fluorem enaribus, quæ nam ex his, criſis futura ſit cognoſcetur ex ſpecie doloris: nam qui velut mordaces ſunt, vomitum, qui vero quodammodo graues, atque extendentes, pulſanteſque, & calidi, ſanguinis fluxum proprie ſignificant. ſunt quidem alia fluxis ſanguinis indicia, vt ſi ægri nolentes illachryment, ſunt & futuri vomitus, vt tre- G.3. criſ.c. 11.

mor

mor labri inferioris,ſed nunc ea ſolum quæ ad dolorem capitis ſpectant conſideramus ; illud vnum aduertite ſanguinis fluxum , vt plurimum , ſeptem dierum ſpatio euenire raro ad quadrageſimum accedere ; nam frequenter poſt ſeptimum dolor capitis puris excretione

H.6.aphor. 10. terminatur: Sic Hipp. *Caput dolenti, aut vehementer laboranti pus , aut aqua , aut ſanguis fluens per nares, aut os, aut aures morbum ſoluit.* Hoc optime declarat. Auicenna,iudica-

Auic.2.4. tr.1.c.29. tio per hæmorrhagiam frequentior, eſt 7.poſt 7. per puris exitum, poſt 20. raro per hæmorrhagiam frequenter per puris eruptionem , frequentius, per abſceſſum ad inferas ſedes.

Relicta igitur prognoſi, vt cauſam cephalalgiæ aſſequamur, ad multa reſpicere oportet. Nam vt plurimum anterior pars dolet à calidis ſiue humoribus, ſiue vaporibus; vt poſterior à frigidis, & craſſioribus; cuius rei triplex ratio poteſt aſſignari. Prima, quia multi in translatione ſanguinis vapores calidi ad caput feruntur,cumque hæ arteriæ ex colli appellata fornace vtrinque ad ſyncipur aſcendant,temporalis muſculus, & partes vicinæ afficiuntur 2. quia omnes prope venæ in cerebro à poſteriore parte in anteriorem deſinũt, per quas agitatus ſanguis , cum vlterius progredi nequeat,ſiſtitur inſtar aquæ fluentis,quę fluctibus vehementioribus ripam alluit. Ob idque per ſanitatem etiam vaporoſa excre-

menta

menta cerebri per ſynciput tranſpirare maximè conſueuerunt, ad idq; confert ſuturarum raritas; & cranij conſtitutio ibidem ſubtilior ac magis fiſtuloſa. 3. propter exactiorem illius partis ſenſum: ſunt enim in illis ſuturis pelliculæ quædam, quæ duram menyngem cum pericranio coniungunt, & per quas tenuium vaſorum copia penetrat. Pericranium autem acrius dolet; quia maximè tenſum; nec niſi vi à cranio diuelli poteſt: quæcumque enim partes tenſioni cedunt, minus dolent, & è contra. Itaque cum cauſa doloris à vaſis quæ in occipitio ſunt ad vaſa ſyncipitis permeet; cumque vaſa in ſyncipite anguſtiora ſint, ampliora in occipite, materia craſſa & frigida in amplioribus occipitis permanet, calida vero & ſubtilis ad anguſtiora ſyncipitis permeat.

Poteſt quidem caput dolere per conſenſum à ventriculo cum quo maximum habet comertium propter communes & ſatis magnos neruos, à iecore propter venas, à corde ob arterias, ab vtero & liene, ac denique ab omnibus viſceribus; fitque conſenſus, vel aſcendente per continuitatem partium ſolo calore, vel ſpiritu vaporoſo, vel fumoſo, aut fuliginoſo, nonnunquam etiam per metaſtaſim, ſeu transfuſionem humorum excrementitiorum. Quod ſi à materia afficiatur eadem etiam inferiores partes coafficit, vt tamquam in circulo verſatis affectibus non nobis innoteſcat

quod

quod nam eſt membrum quod primario patitur. Cerebrum namque (vt in libro de glandulis habetur) ſi ægrotat magnam affert cladem, ſiquidem humoris acredine arroditur, vigilias, mentiſque perturbationem adducit, conulſiones adſunt, ſuffocatur æger & aphonicus fit.

Vt autem in febribus cognoſcatis an dolor fiat per conſenſum à ventriculo, repreſentabitur vobis ante cephalalgiam cardialgia; ac tunc non eſt valdè timoroſum ſymptoma. Si verò primaria affectione caput laboret, à plenitudine & oppreſſione pendet, vnde non ſolum dolor, ſed vertigo & ſcotomia oboritur, ſi aurium tinninus, olfactus & cuiuslibet alterius ſenſus amiſſio adſit ſuppreſſa in capite materia ſignificatur, quæ niſi euacuetur, exeunte ſanguine, aut pure, aut ſeroſo humore, vt ex aphoriſmo Hippocratis diximus, diffunditur in propinquas partes, ac debiles, & tunc offenſo neruorum principio conuulſio oritur, vel materia in neruos decumbente paraplegia; vel cerebrum occupante fit apoplexia.

Ex ſpecie autem doloris eiuſdem cauſam venabimur, flatus dolores inducunt tenſiuos, климbilioſa excrementa mordaces, plenitudo grauitatis ſenſum affert, cui ſi rubor & calor accedat calidorum humorum copiam, ſine his frigidorum multitudinem indicat. Etiam eiſdem dolorum differentijs pars affecta cognoſcitur:

ſcitur: nam ſi dolor pulſatorius ſit, membranoſi corporis inflammatio adeſt, ſi grauitas, multitudo intra membranas contenta ſignificatur. Quæ etiam pars dolet vobis ſignum afferet à quo nam membro conſenſus fiat, vti pars dextra, dolet ob conſenſum iecoris, ſiniſtra lienis, poſterior pars renum; anterior vētriculi, media vteri, atque hæc, dummodo ex alijs ſignis dolorem non eſſe per eſſentiam cognoſcatis, ſunt autem hęc interpollatio, doloris, membri mittentis manifeſta læſio, & ad eiuſdem curationem mitigatio doloris. Attamen neque ſit manifeſta eſt iſthæc cognitis, vt Galenus teſtatum. G.2. local. c.1.

Eſt autem dolor capitis, vti iam diximus, ob mala quæ afferre poteſt periculoſus, nempè ob conuulſionem, paraplegiam, apoplexiamve; nam quod attinet ad vehementiam doloris nunquam in capite tanta eſt, quæ per ſe, ſola poſſit interimere, dicente Galeno, ob capitis dolorem vehementem neminem vnquam; animi deliquio comprehenſum perijſſe, neque ſe ipſum occidiſſe, quemadmodum quidam ex colico dolore vexati fecerunt. Vtcumque autem doleat longe minor dolor eſt, quam qui coli, auris, aut oculi, aut dentis dolore vexatur. Plinius tamen aſperrimum ait dolorem calculorum eſſe à ſtillicidio veſicæ, proximum ſtomachi, tertium eum qui in capite continetur. Forſitan tamen Plinius capitis G.2. local. c.1. Plin. l.25. c.3.

 pitis

pitis nomine aures, aut oculos, quippè in capite ſunt, comprehendit.

Exercitatio de ruinarum rubore.

COlor rubeus in vrinis triplex ſpectatur præruber, ſeu valde ruber; ruber, & ſub ruber. Vrina prærubra interdum ab Hippocrate dicitur ἐξέρυθρα hoc eſt valde rubra, interdum αἱματώδες hoc eſt cruenta, & licet hęc duo vocabula indiſtinctè ab eo accipiantur, nihilominus ad confuſionem tollendam αἱματώδεν appellabo eam, quæ renum vitio mingitur, quando ſcilicet ſanguis, vel ſolus exit per viam vrinæ, vel ſimul cum vrina emittitur. Sole autem hoc contingere quia (vt Hippocra- H 4.aph. 78
tes ait) *ſiquis ſponte ſanguinem mingat, à renibus venula rupta ſignificatur*; renum autem nomine venulas renibus vicinas intelligite, præcipuè emulgentes, quæ ſatis pendulæ ſunt, & facile poſſunt rumpi. Rupturæ autem nomine nō ſolum intelligatis ῥῆξιν hoc eſt ruptionem, quæ eſt vnus ex modis quibus ſanguis effluit, ſcilicet per vaſorum ruptionem, ſed intelligite omnes alios videlicet ἀναστομῶσιν anaſtomoſim, hoc eſt apertionem oſculorum venarum, ἀνάβρωσιν anauroſim, hoc eſt eroſionem quæ fit ob vlcus à materia corrodente & διαπήδεσιν diapedeſin, hoc eſt tranſcolationem.

Itaque duo vaſa in renem dextrum, & totidem

tidem in ſiniſtrum in quinque ramos diuiſa ingrediuntur, hæc vniuerſam renis vtriuſque molem circumdant, & extremis oſculis mutuo coëunt. Per hæc vaſa ſerum pauciſſimo ſanguini mixtum diſtillat in renum carnem. Sed quomodo? non per ora nam hæc (vt dixi mutuo coëunt. Ergo per laterum poras. Quare ſi ſanguis plus ſolito deſtillat, vel fit per harum venarum vulnus, aut vlcus, & ſic eſt per ruptionem, aut eroſionem, vel rarefactis hiſce venis; & tunc erit per diapedeſin, vel oſcula illa quæ mutuo coëunt, diſgregantur, quod calculoſis contingit calculo ita ſe habente, vt coitum oſculorum impediat. Poteſt etiam cõtingere, vt renum ſubſtantia rarefacta, vel debilitata, vt in ſenibus ſanguinem à ſero nôn ſecernat, atque ita fiet vrina cruenta ſimilis excrementis, quæ in hepatico fluxu ob iecoris imbecillitatem conſpiciuntur: nempè velut aqua in qua carnes recenter mactatæ fuerunt lotæ. His omnibus modis fit vrina ἀιματώδες, ſeu cruenta aut ſanguinolenta, quæ magis aut minus periculoſa eſt iuxta affectum, à quo pendet. Fit etiam in mulieribus ita ſanguinea, propter menſtruas purgationes, & eſt per diapedeſin, ſeu per tranſcolationem: quoniam tenuior pars ſanguinis confluentis ad vterum reſudat in veſicam. Cæterum quot modis vitium renum exeat ex authoris libri C.3.
de renũ affectibus ſententia manet explicatũ.

Vrina autem præ rubra, non quæ ex mixtione ſanguinis fit, ſed ex inflammatione ſanguinei bilioſique ichoris, cum ex valde magno intra arterias ac venas incendio talis gignatur, periculoſa eſt, iccirco breuitatem & periculum indicat, ſicut ſub rubra longitudinis ſecuritatiſque eſt index. Eſt, inquam, index
G. 1. criſ. c. 12. longitudinis, quoniam, vt inquit Galenus, ſanguinis ſeroſa ſuperfluitas iſtas vrinas tingit: oportet autem, non modo hanc, ſed etiam aliquid rufæ bilis admiſceri. Si vero calor naturalis adeo eſt imbecillis, vt neque rufam generet bilem, neque ſanguinem exquiſite coctum, ſed adhuc ſeroſum, atque humidum, quod quidem ad ſui coctionem tẽpore egeat,
Au. 2. 4. tr. 1. c. 88. eſt manifeſtum. Temporis autem ſpatium Auicenna auſus fuit præſcribere, nempe ad diem quadrageſimum, interdumque ad ſexageſimum. Sed non debuit meminiſſe Cleanactem ad octogeſimum ægretudinem prorogaſſe.

Poterit tamen aliquis obijcere aphoriſmum
H. 4. aph. 71. Hippocratis. *Quibus ſeptima die criſis futura eſt, his nubecula rubra quarta die in vrina apparet*, vbi Galenus ait nubeculam rubram bonam eſſe, & cito futuram iudicationem oſtendere. Neque vero intereſt quod dixerit rubram, nos autem de ſubrubra ſermonem habemus, nam ſi rubra bona eſt & breuitatem oſtendit, multo meliùs ſubrubra id efficiet: quip-

quippè Galenus vrinam rubram, ait, in medio prærubræ & ſubrubræ, medium tum laudis, tum vituperij obtinere, & rubra etiam hominem diu laboraturum, non tamen moriturum ſignificat, vt ſentit idem Galenus; quare ſi nubecula rubra cito futuram criſim pollicetur, ſubrubræ multo magis. Igitur ſi nubecula rubra, & ſub rubra breuitatem morbi ſignificat, nos diximus vrinam rubram ſignificare longitudinem: nam & vrinæ, & contentorum eadem eſt coloris ratio. Actuarius fatetur contenta rubra, & ſubrubra cruditatem ſignificare, ac propterea ſi Hippocrates dixiſſet ſedimētum quarta die, non inde poſſemus, criſim ſeptima ſperare, quia ſedimentum demonſtrat materiam non ſolum crudam, ſed multam dixit autem nubeculam, quæ materiæ paucitatem indicat, vnde ſi quia cruda, indiget tempore ad ſui coctionem, quia pauca tempus erit breue. Sedimentum quidem melius eſt quàm nubecula in materia cocta: quoniam cocta; quo copioſior eſt eo melior. Sed quando ſignificat imperfectam coctionem, vti ſignificat ſi rubra, aut ſubrubra ſit, tunc quanto paucior, tanto melior, quia quod exiguum eſt facilius vincitur à natura, quam quod multum.

G. 1. prorr. ſect. 2. cō. 35.

Act. 2. de iud. vrin. c. 8.

Dixi inſuper vrinam ſubrubram non eſſe periculoſam, hoc oſtendendum eſt ex qualitate humoris cuius indicat prædominium. In-

dicat autem prædominium, abundantiamve ſanguinis, non exquiſita ratione confecti, à quo ægritudines prouenientes, inquit Galenus, moderatiores habentur. Eſt enim ſanguis ex eodem de temperamentis ſuccorum optimus, & maxime proprius atque domeſticus, quo, quemadmodum idem met, de vſu part. ſcriptum reliquit, nihil eſt vtilius, aut benignius ad nutritionem. propterea affectiones ab eo ortæ ſalutares habentur. Præterea natura nihil cõcoquit, aut elaborat niſi commercio ſanguinis, quod conſtat ex Auerrois ſententia, & multo magis ex aſſiduo experimento. Quum quod vitam ſuſcepturum eſt, antequam animal fiat rubeſcit; ſemen etiam ante fætus formationem rubrum accipit colorem, nulla nutritio ſine ſanguine fit, nulla etiam abſceſſus ſuppùratio, ſiue tumor ex flaua, ſiue ex atra ſit bile, ſiue ſanguine fit. Vt ex his intelligatis ſanguinem naturæ eſſe familiarem & ab ea elaborationem facilè ſuſcipere, niſi aut ille multitudine peccet, aut illa imbecilitate, nam tunc licet periculum abſit, longitudo adeſt, abeſſe periculum dico, dummodo facultas alias languida tantum habeat virium, quantum ad portandum per plures dies onus ſufficiat.

G.2.progn. 47.

G.2.de tẽp. c.3.

Gal. de vſu part. ca. 15.

Exer-

Exercitatio de Vrina nigra.

DE nigredine vrinarum dicturus, Galeni prius verba ſcripta in memoriam reuocabo, ſunt autem hæc. *Peſſima igitur eſt, tota vrina denigrata, adeo vt neminem vnquam ſeruatum viderim ex ijs, qui talem vrinam minxerunt, minus vero pernicioſa, ſi ſolum id quod ſubſidet, nigrum fuerit, atque adhuc minus, ſi ſolum id quod in medio iacet, ac multo minus etiam ſi nebula.* Hactenus ille; ex quibus verbis colligetis id, quod in bonis vrinis eſt optimum, in malis eſſe peſſimum. In bonis vrinis optimum eſt imo ſalutare totam vrinam eſſe bonam: in prauis pernicioſum totam eſſe nigram; rurſus in bonis vrinæ contentis id, quod ſubſidet, ſi bonum ſit, primum bonitatis locum obtinet; in prauis id, quod ſubſidet, primum obtinet locum prauitatis; ſecundo loco in bonis æneorema ponitur, idem etiam in prauis; tandem nebula omnium minimum bonitatis gradum poſſidet, omnium minimum etiam in prauis. G. 1. criſ. c. 12.

Porro vrinarum nigrarum triplex eſt ratio: aut enim fiunt propter adurentem caliditatem; aut propter nigrum humorem, tum qui decretorie à toto expurgatur; tum qui ab aliqua parte v.g. à liene; aut tandem propter frigiditatem ab extinctione caloris natiui ortam. Quælibet autem differentia iſtarum, ſic

internoſcitur. ſi ſitis adſit, anxietas, iactatio, & reliqua incendium ſignificantia, præcipue linguæ ariditas, aſperitas, nigredo (nam lingua lotium ſignificat) hæc nigredo à calore adeſt. Si autem nigras vrinas liuidæ præceſſerunt, & aliqua concurrant ſigna; quæ mortem in propinquo eſſe denucient, tunc frigiditas, extincti caloris ſoboles huic nigredini vrinarum cauſam præſtat. Tandem ſi nigra vrina, ſecum afferat ægri leuamen & ſymptomatum remiſſionem, ſit quæ ſuperueniens in die critico expulſio hæc decretoria eſt & bona, à toto quidem ſi vniuerſalis eſt affectus, ab aliqua vero parte ſi particulare viſcus v. g. lien laborauit. Itaque poſſunt vrinæ nigrę aliquando vtiles eſſe, vt in expulſione critica, aliquando inutiles, vt in icteritia in qua, nec bonũ aliquid, ſecum afferunt, nec malum præter ipſum morbum. Vt plurimum tamen ſunt pernicioſæ, vt quæ aduſtione fiunt; pernicioſiſſimæ, quæ extinctione.

6. Epid. ſect.5. tex. 24.

Arbitrantur aliqui nigras craſſas, nigris tenuibus deteriores eſſe, ſeducti verbis Hippocratis, quem perperam interpretantur. Nam cum magnus Senex inter exitioſas vrinas reponat nigras, & craſſas, accipiunt has duas differentias coniunctiue, dicuntq; nigras dummodo craſſæ ſint, valde exitioſas eſſe. Afferunt in ſuæ opiniones confirmationem hiſtorias Herophontis, & Nicodemi qui vrinas nigras

H.2. progn. 32.

H.3. epid. ſect.3. ægr. 9. & æg. 10.

tenues

tenues minxerunt , & euaſerunt ſicut Herophon, de quo in præſente, cum vrinis nigris tenuibus euaſit.

Verum ſi ad hiſtorias reſpiciendum eſt, etiã eodem lib. ægr. 2. mulier, quæ apud frigidam aquam in Thaſo habitabat, octogeſimo obijt, vrinæ huius nigræ erant, tenueſquē, & aquoſæ. Refertur etiam à Galeno quidam, qui vrinam ſubſtantia tenuem colore nigram excreuit, & viſus eſt quarto die bene habere, adeo vt ſequentibus diebus lauaret, ſeptima febrire cæpit, & tabefactus obijt. Itaque euentus nihil probant, quandoquidem ſtant pro vtraque parte.

G. 1. prorth. ſect. 2. com. 17.

Si vero ratio ſpectanda eſt, tenues & nigræ deteriores ſunt: vtpote quæ duplice nomine ſunt prauæ, tum quia nigræ, tum quia tenues, de nigredine; per ſe ſolam iam diximus, de tenuitate hoc ſolum poſſumus dicere, eam nunquam eſſe bonam, vtpote quæ cruditatis eſt ſoboles, craſſities aliquando iuuat, vt in febribus quartanis, & in ijs quæ ab humore atro expurgantur. Videtur tamen contrarium ſentire Galenus, qui obſeruaſſe ſe ait, vrinas nigras, quo craſſiores, eo eſſe deteriores. Cæterum debetis conſiderare craſtitiem per ſe ſolam abſque mutatione coloris (vt ibidem Galenus vult) duplicem habere euentum, interdum ad mortem, interdum ad ſanitatem propinquam terminando. Si igitur craſſities inter-

G. 2. progn. 32.

interdum bona eſt, poterit nigritiei adiuncta ſaltem non eſſe mala, tenuitas (vti diximus) ſemper eſt mala, ſi ergo ſemper mala cenſetur, tunc cum nigredinem ſecum habet, cenſebitur deterior. Porro cum Herophontis de quo præſens eſt ſermo fuiſſent nigræ tenues, merito Galenus initio comentarij inquit, hũc preter ſpem ſeruatum fuiſſe, quem ſcilicet primis ſtatim diebus merito quiſpiam moriturum ſuſpicatus fuiſſet: etenim nigra minxit, hoc eſt (vt ex hiſtoria conſtat) nigra tenuia.

Ceterum dum vrinas nigras & ſimul tenues dico, chrymæram me loqui exiſtimant aliqui, quibus Aetij ſententia, & Auicennæ placet: quippe iſti duo authores impoſſibile eſſe cenſent reperiri vrinam, quæ ſimul & tenuis ſit, & nigra eandem ſententiam ſequitur author libri de vrinis, nullus enim ex modis, quibus vrinam nigreſcere diximus, tenuitatem ſecum admittere poſſe videtur. Nam in remiſſione quartanæ febris, & ſolutione melancholiæ, vrinæ apparent nigræ. Redduntur autem nigræ propterea quod humor nigræ bilis per has expurgatur, qui ſua ſubſtãtia terreus eſt, & groſſius, quare & vrinas efficit groſſas. *Simili modo, & hæ vrinæ, quæ ex aſſatione, aduſtioneque ſanguinis nigræ fiunt, groſſæ ſunt: ſi enim vſtio nimia exſiccat humiditatem ſanguinis, conſtat quod etiam groſſam efficit eius ſubſtantiam: quare manifeſtum eſt, quod & vrinæ groſſæ fient; à ſan-*

Aet. tetr.2. ſerm. 1.ca. 44.
Au.2.4. tr. 3.c.82.
C.10. c.11.

ſanguine enim, & coloris mutationem accipiunt, & ſubſtantiæ vſti ſanguinis groſſitiem referunt. Frigiditas vero, quæ ingroſſat materiam etiam vrinæ ſubſtantiam facit humoris ſimilem, ita igitur vrinæ fiunt groſſæ, vt docui. hæc ſunt verba illius authoris, quæ gratis dicta mihi videntur.

Nam in primis inflammatio non tanta eſt, quæ ſiccitatem actualem inducat, alias vrina abſumeretur: quippe calor non aliter exſiccat, quam ſubſtantiam humidam abſumẽdo. Dum igitur calor non abſumit, potiùs dicendum eſt ſoluere, & liquefacere, ſi enim ipſe vult ſanguinem à frigiditate concreſcere, eodem iure fateri tenetur eandem diſſolui à calore, iuxta normam traditam ab Ariſtotele. Deinde bilis atræ permixtione, vrinas nigras craſſitiem habere fatemur, addita tamen conditione ſi bilis atra multa ſit (quod iam ſupra dicebamus dum egimus de liuore) nam pauca craſſitiem non inducit. Ariſt. 4. meteor.

Sed obicietis à nobis fuiſſe ſuperius dictum ex pauco humore atro permixto non nigredinem, ſed liuorem fieri, quod Galeno acceptum referendum eſt: ſiquidem deiectionem, inquit, ſi pauca atra bilis miſceatur non nigram, ſed liuidam fieri. Hoc quidem ego in deiectione admitto, in vrina nego: etenim vrina, cum fluxio quædam, & liquor ſit, facile à ſubſtantia tingente penetratur, deiectio vero ob ſubſtantiæ craſſamentum non facile G. 2. progn. 22.

cile ſecundum ſe totam tingitur.

Sed adhuc nō ceſſat difficultas: vrina enim rubra non niſi craſſa reperitur, cur ergo idem de nigra non eſt dicendum?non ne ideo rubra craſſa eſt,quia ſanguinem habet admixtum?at nigra admixtum habet melancholicum ſuccum ſanguine craſſiorem. Ita eſt. verumtamen animaduertite colorem, quo intenſior eſt, eo efficacius tingere, quo remiſſior, remiſſius. Niger ergo color intenſiſſimus, vtpote in extremo poſitus,efficaciter tingit,non ſic tamen color rubeus, qui medius eſt, neque omnimodam intenſionem habet, quapropter pauca atra bilis ſufficiet ad ſaturandam vrinam colore nigro, non ſufficiet paucus ſanguis ad ruborem inducendum, ſi ergo rubra vrina eſt ex multo ſanguine admixto, neceſſario ſimul erit & craſſa.

Exercitatio de atrabile.

NIger ſuccos in triplicè eſt differentia: in primis μελαναίμα, ideſt ſanguis niger, qui quoniam colore à ſanguine degenerat, non tamen adhuc ab eo forma recedit, hoc peculiare habet, vt concreſcere poſſit, & in grumum, ſeu trombum verti: quippè nec pinguedinem adhuc, nec fibras ammiſit, non ſicut aliæ differentiæ, quæ non concreſcunt. & hæc ſit prima humoris atri differentia, ſeu ſpe-

ſpecies. Cæterum quando Hippocrates inquit ὑποχωρήματα μέλενα ὁκοῖον αἷμα μέλαν deiectiones nigrę, qualis eſt ſanguis niger, alteram differentiam humoris nigri intelligit priori ſimilem, quod indicat particula, qualis, quaſi dicat deiectiones quæ ſunt ſimiles ſanguini nigro. Eſt autem hæc fæx ſanguinis, quæ à ſanguine differt: quoniam non concreſcit: ſic exponit Galenus infra aphoriſmum 23. inquit enim, hæ, ſanguini denigrato ſimiles videntur, differentes in eo quod fuſæ ſunt, & non concretæ, vt ille. Iſt hæc ſecunda ſpecies, quam ſanguinis veluti limum ſolet Galenus appellare, aſſumitur à Liene ad ſuos vſus, quæ etiam per hæmorrhoides excerni ſolet, per eas enim niger ſanguis egreditur, qui iam ſanguinis nomine non eſt dignus: ſi quidem nequit concreſcere. Appellatur, vt plurimum μελαγχολικὸς χυμὸς melancholicus ſuccus. Iſtæ ergo duæ partes τῶν μελάνων ideſt nigrorum nomine conueniunt. Tertia differentia, cum qua ſecunda ſplendore conuenit, non autem prima: quippe, vt diximus, non ſplendeſcit, tertiam inquam, ἡ μέλαν χολὴ ideſt atra bilis fit vel à ſanguine vel à ſucco melancholico, vel à flauabile quoties vruntur, aut malignam ſuſcipiunt qualitatem, differentiam inter hanc tertiam & ſecundam optime exprimit Galenus, interim nobis notum ſit hanc tertiam ſplendiorem eſſe ſecunda, & magis dilutam, tametſi craſ-

[Margin notes: H. 4. aph. 21 — Libello de atrabile c. 3.]

ſi craſſitiei nõ eſt omnino expers. Hæc in terram effuſa fermentat eam, & muſca quidem, nec aliud quoduis animal guſtare eam vult, propter ſuum acore, ſicut neque meram ſalſedinem: neque enim in ea degit animal, vt mare quod mortuũ vocant argumẽto eſſe poteſt.

Duo igitur hæc, terram fermentare, & animalia abigere, quomodo contingant accipite. quod ad primum attinet poteſtis id addiſcere à Galeno in hunc modum dicente. *Cum igitur* G.1.prorrh. ſect.2.com. 40. *in terram acetum acre effuſum fuerit, protinus intumeſcens, ſurſum quaſdam terræ partes ſimul tollit: fitque compoſitũ quoddam ex terreſtri ſubſtantia, & aceti humiditatẽ, & ex facto vaporoſo ſpiritu. Simile rei huic contingit, cum atra bilis in terram effuſa fuerit: nempe & in vtroque ſpirituoſa quædam motio euidenter fieri videtur, ei ſimilis quæ in feruente muſto apparet*, & quæ ſequuntur. Itaque quia flatum in ſe continet intumeſcit, flatus vero ob craſſitiem exire nequit, quare in minimas partes frangitur, quæ bullas quaſdam & efferueſcentiæ ſpecimen exhibent.

Quod autem ad ſecundum ſpectat, Galenus, G.de atrabile c.3. *bilem atram*, inquit, *tum guſtu ipſam vomentibus, tum olfactu, non illis ſolum, ſed alijs quoque innoteſcere*. Hinc colligite acerbitatẽ, & acorem licet qualitates ſint guſtabiles, nihilominus olfactu quoq; poſſe percipi: ea enim eſt inter hos duos ſenſus communitas, vt ſe inuicẽ alter ab alterius obiecto lædatur, ſic fætor efficit

ficit dapes iniucundas, ſic ſapor inſuauis olfa-ctu deprehenditur. Sed quorſum iſta? nempe vt ſciatis vanum eſſe quod quidam putāt, mures, muſcas, & alia animalia atram bilem naturali quodam nocuā fugiendi inſtinctu effugere, cur enim ad inſtinctum effugiemus, cum videamus animalia quidem propè ad locū in quo atrabilis effuſa eſt accedere, deinde effugere, quaſi olfactu iniucundum ſaporem agnoſcentes quem propterea euitant. Has tres humoris nigri ſpecies paucis verbis comprehendit Galenus, inquiens, *oſtendit autem & nos bene à nigris deiectionibus bilem nigram ſeparaſſe. Hæ enim ſanguinis denigrato ſimiles videntur, differentes quod fuſæ ſunt, & non concretæ, vt illæ. Nigra autem bilis & quod fuſa eſt abſque concretione, & quia fulgentem habet nigredinem; & præterea mordax eſt, ſicut acetum, & terram abradit, atque fermentat, quorum nihil nigris adeſt.* G.4.aph.23

Itaque atri humoris ſecunda ſpecies, quæ melancholia dici ſolet, & tertia quæ atrabilis nominatur, quoniam tertia fit ex ſecunda, quamquam etiam ex flaua bile fiat, vt poſtea dicemus: ac proinde ſecunda materia, tertiæ eſſe poteſt. Sed præter hanc diſtinctionem an diſtinguantur etiam ex parte agentis, in dubium poteſt reuocari. Atram bilem, hoc eſt tertiam differentiam nigri ſucci ab immodico calore fieri, nemo eſt, qui neget, ſecunda

ſpe-

ſpecies, quæ cõmuniter melancholia, ſeu melancholicus ſuccus appellatur, an à calore generationem ſuam habeat, non conſtat apud omnes. Peramatus, cui aſſentitur Mercatus tres gradus melancholici humoris intra limites ſanitatis conſtituunt. Primus eſt, qui fit à calore diminuto: dum enim iecur frigidius, & ſiccius eſt redditum, etiam ex mediocri alimento hunc ſuccum generat. Secundus fæx ſanguinis, quæ ſecundum naturam eſt, & iſte humor ab eodem fit calore à quo ſanguis: differt autem ſecundus iſte à priore: quia prior nullum præſtat corpori nutrimentum, iſte verò maximè. Tertius procedit ab intenſiore, & adurente calore, non tamen adeo vt atra bilis euadat. Differt tertius iſte ab alijs, quoniam alij humores fiunt ex alimentis à calore vel diminuto, vel moderato, iſte fit ex alio humore, & authorem habet calorem immodicum.

Hæc opinio, ſaltem in eo quod humorem melancholicũ ex diminuto calore factum nobis tradit, non eſt digna, quæ recipiatur: quippè nuſquam in doctrina Galeni ex frigore per ſe, aut ex deminuto calore, melancholicum, ſed pituitoſum humorem fieri conceditur. Deinde cum negare non poſſent, iſti authores, pituitam fieri ex frigore, & apud eoſdem melancholicus quoque ſuccus ex frigore gignatur, tenebantur ſaltem declarare, vnde nam

euenit,

euenit,vt pituitoſus, & melancholicus ſint humores diuerſi.

Aliter ſentit Chriſtophorus à Vega, nempè humorem iſtum de quo agimus ſola ſeparatione abſque aduſtionis nota fieri, non aliter ac fit muſtum, quod à vino ſeparatur. Verùm cum humor melancholicus propriam, & peculiarem habeat formam,ſuos etiam vſus,non poteſt dici fieri per ſolam reſultantiam, ſed per peculiarem actionem. De muſto autem diuerſa eſt ratio: quippè muſti fæx eſt ad nullos vſus comparata. Præterea ſi ex ſola ſeparatione fieret melancholia, ex eadem fieret flaua bilis, proindè in iecore eſſet virtus duntaxat ſequeſtratrix, nō humorum generatrix. Dicerentur etiam iſti humores præexiſtere in alimento: ſiquidem denuò non generantur, hoc autem Galenus non admittit, imò vero ibidem contrarium non ſine demonſtratione tradit. Veg.2. pg. 27.& in ſua arte medica c.2. G.2.de nat. facult.c.vlt.

Magis conſentaneum eſt, quod Valleſius reſoluit, videlicet ab vno & eodem calore diuerſos humores fieri, pro diuerſa diſpoſitione materiæ, nihilominus quando plus nigri humoris generatur, quàm debita humorum inter ſe proportio exigat,tunc exceſſu fieri caloris,minore tamen quàm eſt ille, à quo producitur bilis atra. Si verò quæratis, quænam ſit illa diſpoſitio materiæ,reſpondebo eſſe craſſitiem,vel meliùs terreſtrem naturam,quæ apta Vall.6.contr.c.vlt.

eſt, vt ex illa melancholia, proportione reſpõdens elemento terræ gignatur. Quod autem melancholia à calore gignatur ſæpius à Galeno eſt inculcatum. Nam melancholica temperamenta ex ſanguinis aduſtione fieri ait. humorem melancholicum in ijs potiſſimum redundare, qui macri ſunt, & nigri, & hirſuti, & qui colorem habent prærubrum, & quibus latæ ſunt venæ, hæc autem ſigna omnia caloris exceſſum atteſtantur.

G 2. de tẽp. c. vlt.

G. 3. loc. aff. c. 7.

Si quis autem obijciat in autumno, quę pars anni frigida eſt, melancholicum humorem gigni, vt hinc conſtare poſſit huius humoris generationem ex frigore eſſe. Reſpondet Galenus, gigni quidem in autumno, non ob frigidam intemperiem, ſed ob eum, qui in æſtate præceſſit feruorem. Si vlterius quærat, cur in ſenibus magis, quàm in iuuenibus ſucccus iſte redundet? reſpondet idem Galenus, eos qui frigido, & ſicco temperamento ſunt præditi, non eſſe melancholicos, niſi ex habitus corporis mutatione tales euaſerint: in his namque humor abundat melancholicus, non ob frigidam intemperiem, ſed ob præcedentem in iuuentute ſanguinis feruorem. In illis vero, qui à primo exortu frigidi ſunt ac ſicci, potius pituita abundat: quippè ob caloris inopiam imperfectas coctiones moliuntur.

De na. hum. com. 35.

G 2. de tẽp. c. vult.

Sed manet adhuc difficultas, ſi enim melancholia elemento terræ reſpondens frigida

eſt

eſt ac ſicca, ſi rurſus effectus ſuæ cauſæ debet reſpondere; quomodo cauſam habet caloris exceſſum? fateor ego melancholicum ſuccum aduſtione fieri,imo etiam ex putredine,vt colligere licet ex Galeno; cæterũ quod aduritur, & putreſcit calidum eſſe non negamus, quod vero aduſtum,putrefactumve eſt calorem amiſiſſe conſtanter aſſerimus: quippè calor nõ durat,niſi quandiù materiam habet quam depaſcitur, cum vero ad ſiccitatem deuentum eſt, ablato caloris nutrimento, aufertur calor,exemplo vobis ſint cineres,qui nullum habent calorem, quia nullam humiditatem. Melancholicus ergo ſuccus, poſt quam in eo vis caloris deferbuit manet ſuccus, ac proinde ſiccus. G.4.aph.21

Sed ex hac reſponſione poſſet aliquis colligere me Arabum Zinariam bilem admittere, quæ omninò ſicca,adeo vt cinereum colorem præſeferat, hanc autem Zinariam bilem Valleſius meritò damnat, & tacitè Chriſtophorum à Vega præceptorem ſuum eam admittentem ſuo more vellicat. Nam poteſt quidem ſubſtantia liquida, quæ adhuc humoris nomen meretur ad eam deuenire ſiccitatem, ad quam deueniunt cineres. Verùm tamen ego, dum omnem humiditatem humori melancholico denego,eam intelligo,quæ pinguis eſt, & ſubinde calori præſtat pabulum, hac ablata calor extinguitur, eſſe verò omnino à Vall.1.cõt. c.19.

ſucco melancholico ablatam oſtendit huius ſucci ichoroſitas, propter quam ab Hippocrate aqua appellatur. Immò etiam ſanguinem ichoroidẽ in pauidis agnoſcit, pauidos autem melancholicos eſſe ipſemet fateri debet, qui metum, & mæſtitiam melancholicis comites adiungit.

H. li. de genit. & in li. de morbus. 6. Epid. ſec. 2. tex. 38. 6. Aph. 23.

Sed adhuc dicetis, cineres aptiſſimos eſſe ad conſeruandum calorem; vnde ea, quæ calida conſeruare volumus ſuper cineres calidos collocamus, erat & quidam medicus, qui, vt longiùs mali ſuſpicionem produceret, ſemper poſt extinctum feruorem per plures dies remanere aiebat cineres calidos. Reſpondeo cineres propter epireuſin minimas quaſdam habere partes igneas, in quibus ſcintillæ poſſunt aſſeruari, nec facile extingui, quippe latent, ac propterea nulla aëris motione extinguuntur.

Ratum ergo ſit in doctrina Galeni, quæ omnino vera eſt, melãcholicum ſanguinẽ, ſi quantitate excedat, excedẽtis caloris ſobolem eſſe. Si vero quiſpiam mihi obijciat eundem Galenum dicentem, *aliam eſſe nigram, quæ dum animal naturaliter ſe habet quotidie gignitur, aliam, quæ ex vſtione, ac velut aſſatione conflatur.* Quibus verbis velle videtur atram bilem eſſe, quæ aduſtione fit, nõ vero melancholiam, reſpondebo diuerſam eſſe vſtionem, quæ atrebili debetur, à calore, à quo conflatur humor me-

G. 14. meth. c. 9.

melãcholicus vnde Galen. *ſupra modum autem aſſatur*, inquit, *propter vehementem caliditatem*, ſic ille. at in melancholici ſucci generatione non ſupponimus vehementem caliditatem, neque ſuperaſlationem, & de his ſatis. G.1. pror. com.4.

Cæterum cum bilis atra non niſi aduſtione, & veluti aſſatione; ac etiam putrefactione fiat, ex aliquo humore fieri debet, hoc eſt vel à ſanguine, vel à pituita, vel à bile flaua; vel à melancholia. Ex melancholia quidem, & ex flaua bile ſuperaſſata atram bilem fieri non eſt negandum; & ſimul longè ferociorem eſſe illam, quæ fit ex bile flaua; quàm quæ ex melancholico fit ſucco quod Galenus tradit. G.3.progn. 27.

Sed videtur non fieri immediatè atrabilis ex flaua: nam Galenus ſic ait, *flaua autem bilis, cum ſupra modum aſſatur, primùm quidem in æruginoſum migrat ſuccum, deinde nigrum*. Quibus verbis velle videtur ex flaua bile per torrefactionem fieri æruginoſam, ex ęruginoſa nigram. Verum flaua bilis latè ſumpta omnes alios colores comprehendit, vnde & vitellina, & porracea, & æruginoſa, & aliæ ſimiles vnam duntaxat ſpeciē per ſuos gradus diſtinctam conficiunt. Vnde licet æruginoſa bilis ſit gradus quidā per quē flaua ad nigrā aſcendit, nihilominus rectè dicetur ex flaua fieri nigrā, maxime quod, niſi occurratur, paruo tēporis momento ex æruginoſa in nigrā fit tranſitus. G.1. prorr. com.10.

De ſanguine non ita dicendum eſt: quippe

 hic

hic vnus ex quatuor humoribus eſt, nec in atram bilem poteſt tranſire, niſi prius fiat melancholicus ſuccus fæculentus, qui alter ex quatuor etiam eſt, ac proinde non dicetur, vnquam ex ſanguine immediatè fieri atrã bilem; ſiquidem fit mediante melancholico ſucco, in quem ſanguis tranſit ante quàm atra bilis euadat. Sed eſt locus apud Galenum ex quo contrarium elici poteſt: quippè atram bilem dupliciter fieri poſſe ait, ex craſſo ſanguine, & ex bile flaua combuſta. Verum huic difficultati occaſionem præbet ipſe Galenus, qui dum parum exquiſitè loquitur, doctrinam confuſam reddit. Reperietis apud eum multoties diſtinctionem factam inter ſuccum melancholicum, & atram bilem, ità vt nihil in eius libris frequentius ſit, & tamen aliquando v.g. loquitur de ſucco melancholico, eumque atram bilem appellat, hanc autem locutionem non exquiſitam eſſe idemmet fatetur, inquiens, *ea quæ eſt veluti fæx ſanguinis cum volumus exquiſitè loqui, non dum atram bilem nominamus, ſed humorem melancholicum.* Porrò duplicem atræ bilis generationis modum, vnum ex melancholico ſucco, quem ſanguinis veluti fæcem appellat, alterum ex flaua bile, tum ſecund. Criſ. & tert. loc. affect. tum multis alijs in locis ſcriptum reliquit.

G.6.epid. ſec.6.com. 3.

G.2. de facult. nat. c. 9.

G.6.aph.53

G.2. criſ.c. 12. 3.loc.affec. c.6.

An vero ex pituita quoque poſſit fieri bilis atra dubitare aliquis poſſet. Author definitio-

tionum medicarum ex terrificata, putrefactaque pituita, atram bilem fieri admittit, non minus quàm ex fæculento ſanguine. Subſcribit Auicenna. Auicennæ ſubſcribunt aliqui, ſed quo fundamẽto? nempe eo præcipue quòd ex quotidianis quartanæ fiunt febres, leue quidem & contemnendum. Nam ex multis febribus & morbis, abſceſſus fieri in quartanas obſeruauit Hippocrates præcipue vero quartana eas febres, quæ errabundæ, auterraticæ ſunt inſequitur, ad quotidianas ſequi non accepi à viris magnis, neque mihi contigit vidiſſe. Sed eſto ſequatur quartana ad quotidianas, num iccirco huius euentus ratio à mutatione pituitæ in nigrum ſuccum petenda eſt? non ne poteſt diuturnus calor febrilis (diuturna eſt amphimerina febris) ſanguinis portionem comburere, adeò vt in melancholicum tranſeat humorem, & ſimul pituitæ partem abſumere, vt ſic typus quartanam referat. Nec vero neceſſe eſt, omnem pituitam abſumi: quippe quartanarij, vt plurimum cruditatibus, ob caloris innati imbecillitatem, ſolent abundare, ſed ſatis eſt paululum pituitæ minui, paululum melancholiæ augeri, vt auctum humorem melancholicum redoleant paroxyſmi quartanarij.

Auic. fen. 1. doct. 4. c. 1.

H. 1. epid. ſect. 2. tex. 22.

Adducit rationem Auuicennæ Scholiaſtes, nempe ex ſanguine fieri melancholicum ſuccum, quoniam vero ſanguis nuſquam purus

eſt, ſed pituitam multam habet admixtam profectò ex pituita etiam ſimultanea ratione fiet ſuccus melancholicus. Cæterum ſi hæc valeret ratio, cum ſanguis bilem etiam flauam comitem habeat, fiet melancholicus humor ex flaua bile aduſta, quod falſum eſt, nam bilis flaua degenerans per aduſtionem, nõn melancholicum ſuccum, ſed atram efficit bilem, quæ ſæuiora efficit ſymptomata, quàm ea, quæ quartanæ debentur, ſiquis vero ex atra bile quartanam fieri dixerit, tenebitur fateri, quartanam morbum eſſe pernicioſiſſimum, & valde lethalem, quod tantum abeſt, vt ſit verum, quin potiùs à magnis morbis liberat authore Hippocrate.

Aliam adiungit, nempe melancholicus humor frigidus & ſiccus eſt, à quo pituita humiditate duntaxat differt, quid ergo humiditatem diuturno calore abſumi prohibet, quod ſi abſumatur melancholia fit? Cæterum interrogo Scholiaſtem illum, quomodo fiat pituita illa, quam gypſeam Galenus, & alij celebres authores nuncupant, nihil aliud reſpondebit, niſi fieri quia humiditas pituitæ naturalis abſumitur. Iam ergo abſumptione duntaxat, non fit melancholicus ſuccus, ſed humor gypſeus. Porrò debuerat recordari melancholicum humorem (quod iam ſupra ſatis eſt demonſtratum) non fieri ſolum propter humiditatis abſumptionem, ſed propter inductam aduſtio-

duſtionem, quam non facilè ſuſcipit pituita vtpotè quod aquea humiditate, qua abundat, aduſtioni obſtat.

Vrget adhuc inquiens, ſi non ex alio pituitæ genere melancholicus humor poteſt procreari, negari non poſſe ait, quin ſalſa altera pituita, quæ ad bilis naturam accedit aſſari; atque caloris acrimonia vri & in atram bilem poſſet conuerti. Hoc tamen argumentum in authorem ſuum retorqueo. Cum pituita ſalſa adeo ſit acuta vt febres cauſodes, ideſt ardentes,non minus quàm flaua bilis accendat; & tamen ſemper pituita ſalſa permaneat, nec in alium degeneret humorem, profectò ſignũ eſt maximum, poſſe quidem pituitam accipere ſalſedinem,poſſe incendi, poſſe fieri acrem, mordacem, febrium ardentium materiam, non tamen poſſe in bilis ſpeciem aliquam mutari.

Argumenta vero quibus probatur impoſſibilitas conuerſionis pituitæ in atram bilem, fortia quidem ſunt, & quæ aduerſarij fruſtra infringere conantur. Primum Galenus ſic ait, *ſiquidem, vt rubrum flauum fiat, aut flauum rubrum, vnica ſimplice commutatione eſt opus: vt vero album nigrum, vel nigrum album omnibus, quæ in medio ſunt.* Ex hac Galeni doctrina elicitur, pituitam albam in humorem nigrum non niſi per medios colores mutari poſſe. Reſpondet ſcholiaſtes, Galenum dum diſtin-

G.1.facult. nat.c.10.

G.3.loc.affect.c.7.

diſtinguit pituitoſos à melancholicis, dixiſſe pituitoſos, ſimpliciter humores nominari, in quibus humiditas frigiditaſque, melancholicos verò in quibus ſiccitas,& frigiditas dominantur: quamuis magnæ peculiareſque interim differentiæ,tum pituitoſorum,tum melancholicorum humorum inueniantur: quibus verbis inſinuat, hos duos humores non coloribus,ſed primis qualitatibus differre. Cæterū animaduertere debuerat iſte author, colores non ſpectari à medico, niſi prout qualitatum primarum ſunt indices, eſt ergo albedo index frigiditatis, ideo competit pituitæ, melancholiæ verò ex præterita vſtione nigredo adeſt, quamuis iam extinctus in ea ſit calor, vt in carbonibus & lignis ambuſtis videre licet.

Carrerius aliter reſpondet, non eſſe neceſſarium, vt à pituitæ albedine ad nigredinem atræ bilis per omnes medios colores fiat tranſitus: nam lana alba igni admota nigra fit, & tranſitus fit, aut per ſubnigrum, aut per flauum, aut rubrum. Ad Galenum verò reſpondet inter album & rubrum medios eſſe colores, non tamquàm media neceſſaria. Adiungit authoritatem Ariſtotelis, qui ab albo ad nigrum mutationem perfuſcum fieri ait, non tamen per alium medium colorem. Tandem exemplum affert chyli,qui in ventriculo ſecūdum aliquas partes fit immediatè humor niger,

A.6. phyſ. c.3.

ger,

ger, ſecundum alias flauus, quare ſecundum diuerſitatem materiæ, ait ille, aut cauſæ agentis fit tranſmiſſio per hoc, aut per illud medium. His putat ſe effugiſſe difficultatem, quam neutiquam effugiſſe arbitror. Nam in primis exemplum ſumptum à lana nihil valet, quippè violentia agentis efficit, vt ab vno extremo ad aliud per inſenſibilia media fiat tranſitus. Quod in ipſa lana agnoſcetis, quippè quæ, ſi igni applicetur, parum tamen remota, paulatim colorem mutabit, neque ad nigrum accedet, niſi prius flauo imbuatur. Galenus verò medios colores tamquam media neceſſaria conſtituit, ea tamen conditione, vt gradatim tranſmutatio à nigro ad albũ fiat. Ariſtoteles ex albo ad nigrum per fuſcum colorem tranſmutationem fieri dixit, non tamen verum eſt illũ alios colores negaſſe. Tandem ex chylo naturaliter ſe habente non fit tranſitus ad alium colorem, niſi in iecore vbi rubedinem induit, quod ſi pars quædam, flaua hoc eſt bilis, flaua, euadit pars nigra, vt ſanguis niger ſeu fæx ſanguinis, fiunt quidem hæc per ſequeſtrationem diuerſarum partium in quas diuerſimode agens operatur, (quod Carrerus metfatetur) ſed pituitam ſecundum ſe totam atræ bilis colore imbui, non videtur poſſibile. Quod ſi dicatis vt ſe habet pars ad partem, ita, totum ad totum, ſi ergo pars chyli albi in partem ſanguinis nigram poteſt tranſmutari,

po-

poterit conſequenter tota pituita alba, in totam atram bilem conuerti. Sufficit ergo quod argumentum probet, poſſe aliquam ſubſtantiam effici nigram; ſine medio alio colore. Cæterum ego axioma illud falſum eſſe exiſtimo, neq; enim verum eſt, ita ſe habere totum ad totum, vt ſe habet pars ad partem. nam datur aliquid tantæ efficaciæ, vt poſſit partem aliquam omnino tranſmutare abſq; tranſitu per ſenſibile medium; non datur autem tanta vis quæ totum immutet. Exemplum habetis in elementis, quorum partes corrumpi quidē poſſunt, totum autem incorruptibile manet, quoniam non datur agens adeò efficax, vt totam v.g. ſpheram aëris poſſit corrumpere. Itaque accedit chylus ad calorem hepatis, qui magnus quidem eſt, comburet aliquas partes, quas iccirco nigras efficiet propter omnimodam combuſtionem, alias minùs comburet, & has relinquet flauuas, alias adhuc minùs, & erunt rubræ, qui alias etiam immutatas relinquet, vnde pituita cum ſanguine permixta remanet. At de nigro humore plura diximus, quàm initio dicere propoſuimus.

Exercitatio de recidiua.

H.2.aph.12 REuertuntur morbi, non ſemper, ſed ex præſtita occaſione, vnde Hippocrates ita ait, *quæ relinquuntur in morbis poſt iudicium, recidiuas facere conſueuerunt,* quæ ſententia alibi

2.& 4. & 6. epid.

repe-

repetita legitur. Notant meritò aliqui, eum non dixiſſe, recidiuas faciunt, ſed facere conſueuerunt; quaſi inſinuaret non ſemper morborum fieri reuerſiones. Dixi accidere præſtita occaſione, occaſionem autem præſtant tum conſtitutio temporis, tum morbi malignitas, tum ægri incontinentia. Temporis conſtitutio præcipuè auſtrina, in qua erraticæ contingunt febres, quæ ſoluuntur citrà iudicationem, hoc ita deſcribitur ab Hippocrate. Craſſus namque humor in auſtrina tempeſtate regnãs naturæ maximè reluctatur, quare ſi quando in parte aliqua remota reponitur, nec tamen euacuatur febrem ceſſare facit, promptam tamen habet reuerſionem.

H. 1. epid. ſect. 1. tex. 36.

Morbi malignitas iudicationem infidam facit, infidam dico, non imperfectam, cauendum hoc loco eſt à Braſauolo, qui infidam iudicationem cum imperfecta confundit: ſunt tamen diuerſæ: nam imperfectè iudicata ægritudo non omninò abſcedit, ſed tamen, licet facta minor ob euacuationem, quę quoniam imperfecta, hoc eſt, deminuta fuit, potuit quidem morbum minorem reddere, non potuit penitus extinguere; infida autem iudicatio liberũ quidem relinquit patientem, & ſanitatis ſpecimen quoddam præſefert, nec ſanitatis ſolũ, ſed etiam ſecuritatis: quippè præceſſerant coctionis ſigna, coctiones autẽ ſecuritatem polliceri dixit Hippocrates; quod tamen in ma-

teria

teria maligna intelligi nequit: quippè hæc venenatam quandam habet conditionem, quæ non deponitur coctione; ac proindè, ex materia non maligna pars exigua relicta, ſuperatur á natura, neque recidiuam efficere eſt potens; Verùm ex maligna, quantumuis minima portio, quaſi ſcintilla ignis, poteſt vires acquirere eundo & incendium excitare. Hinc eſt, quòd in malignis febribus, & peſtilentibus frequentiores ſunt reuerſiones quàm in alijs.

Ægroti incontinentia efficit, vt tametſi non maneat materia valdè multa, ſed ſola praua diſpoſitio, huic diſpoſitioni ex prauo, aut ex ſuperfluo victu, materia detur in qua poſſit debachari. Argenterius hanc diſpoſitionem malignitatem eſſe ait, eam enim quæ à ſolis qualitatibus pendet non exiſtimat: poſſe recidiuas facere; propterea, ait vlcera maligna, in quibus nec calorem, nec frigus, nec humiditatem, nec ſiccitatem damnare poſſumus, poſtquam cicatrice ſunt tecta ſępius recrudeſcere, ob malignam diſpoſitionem, quæ ex liuore, nigritiequè relicta in parte apparet. In his omnibus meo quidem iudicio decipitur. In primis nō rectè malignitatem diſpoſitionem appellat; quippè malignitas nō diſponit ad malum, ſed ipſa ſola eſt quidpiam valdè malum, quod ſi per aliquod tēpus, vel ex defectu materiæ, vel ex mutatione loci, non producit ſuos effectus, non tamen proindè cenſeri debet nō

ma-

malum. deinde diſpoſitiones in qualitatibus primis aptiſſimæ ſunt ad inferendos morbos: quippè diſcraſia, quæ poſt febrem remanet, niſi moderetur & refrænetur, poterit materiã diſponere ad putredinem ſi calor eſt, ſin frigus ad craſſitiem obſtruentem, ſi humiditas ad laxatitatem infirmantem, ſi ſiccitas ad anguſtiã meatuum commeatum ſpirituum impedientem; hæ ſunt veræ diſpoſitiones. Liuor autem, aut nigrities relicta in vlcere poſt inductam cicatricem, fit à ſanguinis portiuncula, quæ extra vaſa remanſit, atque licet reſoluta fuerit (aliter non poterat cicatrix induci, & plaga ſanari,) manet tamen eiuſdem tinctura quædam non noua, quæ non eſt recidiuæ vlceris cauſa.

Offert ſe hic difficultas, quæ multos tenet irretitos, nùm ſcilicet recidiua ſit eadem cum ſua radice? ita tenent non pauci, in quorum numerò eſt Valleſius, qui tamen contrariam ſententiam non omninò improbat: quippè recidiuam, & radicem, hoc eſt priorem morbum eiſdem vniuerſalibus totius morbi tẽporibus includi dicũt, quod monſtrant exemplo Anaxionis, morbo laterali laborantis, in cuius hiſtoria dies recidiuæ, & dies prioris morbi ſimul numerantur: ſiquidem vigeſimo ſudauit, liberatus eſt, vigeſimo ſeptimo rediȷt febris, trigeſimo quarto eſt iudicatus. trigeſimo quarto, inquam ab initio prioris morbi.

Vall. 1c. cõtr. c. 5.

H. 3. epid. ſect. 3. ægr. 8.

Deinde

Deindè conſiderant febrem intermittentẽ, quæ inter vnam & alteram acceſsionẽ ad infebricitationem deſinit, ſuntquè per aliquot horas ægri à febre omninò liberi: neq; tamen febrem intermittentem dicimus plures morbos, ſed vnum duntaxat, cur ergo recidiuam & ſuam radicem plures morbos eſſe dicimus.

Tertio radix ad recidiuam terminatur: quippè prioris morbi terminus ad recidiuam protenditur, igitur recidiua eſt pars ſuæ radicis, conueniuntque ambo in vno tertio, hoc eſt vnam numero ægretudinem efficiunt.

Nihilominus magis rationi conſonum eſt dicere, recidiuam & priorem morbum ſpecie quidem conuenire, ſpecie tamen non prorſus ſpecialiſſima: nam poteſt prima radix eſſe intermittens, recidiua autem continua, vel è contra in reliquis autem conueniunt: quandoquidem quando ad vnum morbum alius genere differens ſucceſſit metaſtaſis eſt, non vero recidiua. Sic Hippocrates *aliæ febres, inquit, in quartanas abſcedebant*, quare hos morbos, qui ad alios diuerſos conſequuntur quaſi abſceſſus quoſdam imaginabatur, e. g. hydropes, quæ ex acuto morbo eueniunt, paralyſes in quas apoplexiæ mutantur, & multa alia huiuſcemodi. H. 1. epid.

Recidiuam autem à priore radice diferre numero probatur, quia morbus quilibet ſolutus niſi accedat recidiua per ſe ſolum integer

eſt,

eſt, res autem quæ rei integræ accedit, non eſt pars eius, ſed quidpiam ſuper additum, quod numerum auget. Deinde ſupponamus morbum priorem habuiſſe ſuam conſtitutionem optimè ordinatam vſque ad vigeſimum, tunc autem fuiſſe iudicatũ: quis negabit morbum fuiſſe acutum, accedat poſtea recidiua, & producatur ad quadrageſimum? Profectò ſi eſt idem morbus iam habuit integram acuti morbi conſtitutionem, nunc habet conſtitutionem chronici, & ſic vnus & idem morbus erit chronicus & acutus, quod rationi contradicit. Si verò dicatis multoties morbum acutum produci vſq; ad terminum chronicorum. hoc quidem non obſtat: nam dum morbus non fuit ſolutus non habuit ſuam integram conſtitutionem, potuitque ex acuto in chronicum degenerare, at verò ægritudo ſemel ſoluta, & ſuam conſtitutionem ſortita, non poteſt manere eadem & ſimul in aliam tranſmutari.

Quicquid autem in contrarium fuit adductum facilè ſoluitur. Nam ad primum non admittimus eadem eſſe & radicis & recidiuæ vniuerſalia tempora: quippe ſi ita foret includerentur etiam dies, quibus durauit ſanitas interiecta, & ex duobus morbis & vna ſanitate fieret vnum, quod eſt riſu dignum. Ad Anaxionem reſpondet Braſauola, eum à principio vſq; ad diem trigeſimumquartum, mor-

bum lateralem habuiſſe: quamuis febris vigeſimo die deſierit, & vigeſimoprimo iterum redierit. Cæterum hæc reſponſio non eſt recipienda: quippè febris, quæ cum inflammatione adeſt, (vt iam ſuperius diximus) ſymptoma eſt illius inflammationis, ac proinde deſinit cum morbo. deinde cum inter pathognomonica ſigna pleuritidis, comprehendatur febris acuta, iam ſi febris deſijt, ſimiliter deſijt ſignum pathognomonicum, ac proinde deſinente febre non erat pleuritis. Dicendum potius reor, Hippocratem vario modo dies numerare, nunc à principio prioris morbi, nunc à principio recidiuæ, vt conſtat ex hiſtoria Herophontis, quippè dum ait quinto redijt, attendit nō ad principium prioris morbi ſed ad eius finem, deindę cum ait tertio die poſt recidiuam reſidebat lien, non reſpicit ad radicem, tandem cum dicit decimoſeptimo fuiſſe iudicatum includit radicem. Hæc tamen in numerando varietas nihil nocet, dummodo conſideremus recidiuam ſuos habere dies decretorios, cum ergo recidiua fuit quinta poſt nonam fuit decimaquarta à principio radicis, in hac morbus redijt: qui die tertia fuit iudicatus, hoc eſt die decimaſeptima à prioris morbi initio. Sic Anaxion recidiuam habuit die vigeſimaſeptima, fuit verò iudicata die trigeſima quarta, quæ fuit ſeptima dies recidiuæ, & notatu dignum eſt, trigeſimam quar-

quartam, ſi radix & recidiua nō differrent numero, non potuiſſę morbum perfectè iudicare, quem tamen iudicauit perfectiſſimè. Iudicauit quidem perfectiſſimè quoniam erat dies ſeptima omnium iudicantium princeps.

Ad ſecundum dicimus inter vnam & alteram acceſſionem ordinem ſeruari, & pręſtitutos habere reuertendi dies, imo etiam & horas: neque vna acceſſio dicitur per ſe morbus integer, licet enim habeat peculiaria tempora cauſæ coniunctæ, hoc eſt humori in minera putreſcenti reſpondentia, non dum habet tempora vniuerſalia, quæ cauſæ antecedenti, nimirum materiæ intra venas exiſtenti, ſunt debita. Iccirco poſt multas acceſſiones adhuc morbus eſſe in principio dicitur, quia vrina, quæ oſtēdit, quomodo ſe habeat cauſa antecedens, non dum ſigna coctionis ſaltem obſcura præſefert.

Ad tertium. Non terminatur quidem radix ad recidiuam: terminari enim vnum ad aliud tunç dicimus cum ſe tangunt, vt ſi prior morbus tangeret recidiuam, cæterum quoniam mediat ſalubritatis tempus, non eſt cur dicamus recidiuam eſſe terminum radicis, ac proinde, nec eius partem. Cæterum Valleſius abſceſſum diuerſa habere tempora à febre admittit; & affert Hippocratis verba, nempe, *recidiuas autem non ita ſe habere, ſed iudicationum tempus in eis computari ab initio ſuæ radicis.* H. 2. progn. 58.

cis. Verum in hoc ſecundo decipitur; ſiquidem Hippocrates aliquando expreſſe à recidiuæ initio calculationem orditur vt videre
H. 1. epid. ſect. 2. tex. 83.
eſt, vbi ait, *intermiſit ſeptimus à recidiua, iudicatus eſt die quinto, & rurſus aliquibus intermiſit ſeptimo à recidiua, iudicatus eſt die tertio*, eſt quod mirer Valleſium, qui ait, Hippocratem, hic vnicam dierum computationem facere à principio totius morbi, dormitabat certè, dum hæc ſcribebat.

Sed adhuc poterit quiſpiam dubitare dicens tanguntur quidem ratione materiæ, quæ relinquitur ex prima radice; cum enim hæc ſit eadem, quæ recidiuæ cauſa eſt, videtur poſſe dici ratione cauſæ ſe inuicem tangere. Quod autem recidiuæ cauſam habeant ex priore morbo relictam manifeſtè conſtat ex præcitati aphoriſmi verbis, quæ relinquuntur in morbis poſt iudicium, recidiuas facere cõſueuerunt. Conſtat etiam, quia prior morbus non dum eſt omnino extinctus ſiquidem adhuc eius veſtigia apparent, quæ Hippocrates
H. 6. epid. ſect. 2. tex. 20.
expreſſit, ea ſunt ſitis intus relicta, & oris exſiccatio, & inſuauitas, & inappetentia eadem ratione.

Quid autem relinquatur ſi à Galeno quæratis, ille vobis incommento aphoriſmi reſpondet eſſe humores alienos à natura corporis in quo continentur, aptos ad eius nutritionem: qui neceſſariò ad putredinem conuertun-

uertuntur, cum vero locus calidus fuerit in quo ſunt collecti, facillimè putreſcent. Idemmet Galenus 6. epidem. citato, bifariam intus relinqui ait, vno quidem modo humorem morbi authorem, altero autem morboſum affectum, & addit quando prædicta recidiuæ futuræ ſigna, ſitim videlicet, oris inſuauitatem, & inappetentiam, narrat; intelligere intùs relictum morboſum affectum. Poſſumus itaque ex hac Galeni diſtinctione colligere, tria iſta ſigna non eſſe veræ recidiuæ, quæ ad morbum prorſus ſolutum conſequitur, ſed recidiuæ non veræ, quæ non excipit corpus in ſtatu ſalubri conſtitutum, ſed adhuc morboſo affectu laborans. Atque ita videtur reſponderi poſſe prepoſitæ difficultati ſcilicet ſigna illa, quæ eueniunt morbo non planè ſoluto non efficere quominus perfectè ſoluatur & recidiua ſit a priore morbo ſaltem numero diuerſa.

Non tamen adhuc exhauſta eſt difficultas: nam quamuis nec ſitis adſit, nec reliqua quãuis etiam non relictus ſit morboſus affectus, ſufficit quod remanſerit humor morbum faciens, vt recidiua cum ſua radice perpetuitate cauſæ ſit eadem. Reſpondent aliqui, eſſe quidem eandem perpetuitate cauſæ, non tamen perpetuitate affectus, atque hoc ſufficere, vt duo affectus ſint, non vnus. Ego tamen aliter ſentio: nempe nec perpetuitate cauſæ

eſſe vnum morbum : quippè materia, quæ relinquitur vel putrida eſt,ſed pauca,vtpoteque ab alia denuò ſuperueniente aucta morbum accendere poteſt, vel cocta, ſed quæ non potuit tota euacuari, vnde pars aliqua remanſit, quæ licet non ſit apta ad nutriendum, non eſt etiam apta ad morbum gignendum. Si eſt putrida nec tamen morbum efficit, niſi aucta à quantitate nouæ materiæ ſuperuenientis, non poteſt dici cauſa eadem, vt e. g. ſi quis poculum vnum vini biberit, à quo inebriari nequit ſuperbibat plura alia pocula & inebrietur, non dicetur ebrietatis cauſam eſſe primum illud poculum. Sed dicetis eſſe ſaltem cauſam partialem; fatebor partialem,ſed quæ minima ſit pars totius, ac proinde à minima parte, cauſa non accipiet totam denominationem. Si vero materia, quæ relicta fuit eſt cocta, nec apta ad gignendum morbum, niſi denuò putreſcat, non debet dici cauſa eadem; ſi quidem in priore morbo coctionem obtinuit, in recidiua autem propter aliquem errorem in prauam lapſa eſt naturam.

Porrò cum Hippocrates dicat, quæ relinquuntur ex morbis poſt iudicium, videtur de ſolis morbis agere, qui per criſim terminantur: quid ergo de alijs dicendum, qui per ſimplicem ſolutionem euaneſcunt? Criſes, ſaltem noſtro hoc tempore infrequentiores

ſunt,

ſunt,quippè raræ fiunt criſes,quod & ad veterum temperantiam reducendum eſt, propter quam natura erat magis compos ſui,& ad calidam intemperiem illius regionis, quæ humores gignebat valdè ſtimulãtes, & ad medicorum peritiam, qui locum dabãt naturę,noſtrò hoc æuo qui medicinam faciunt, tum vt videantur aliquid agere, tum vt ægro obtemperent remedia ſemper expetenti, obruunt vires naturæ eiuſque operationes intercipiunt.

Præcipuum autem ſignum, ex quo ſumitur recidiuæ ſuſpicio, eſt defectus pręcedentis coctionis: ſi enim vel diminuta, vel nulla cocti humoris ſigna adſint quãtumuis perfecta fuerit morbi ſolutio,nec maneat ſitis, nec oris inſuauitas,nec inappetentia, ſemper ſolutio iſthac infida eſt, poſtulatque medici vigilantiam, vt ſcilicet poſt ſolutum morbum & coctioni humoris incumbat,& euacuationi.

De magnitudine autem periculi,quod ſecũ recidiua affert, etiam medicus ſolicitus ſit oportet. Verùm quidem eſt, recidiuam ſemper eo nomine eſſe prauam, quod ægrum ex priore morbo defeſſum accipit,quod Galenus in libro de affectibus, in omni morbo qui alteri ſuperuenit conſiderauit. Attamen ſi præcedens coctio fuit valde propinqua coctioni perfectæ, ſi euacuatio ſatis copioſa, ſperandũ eſt, vt materia,quæ recidiuam affert, non ſit

potens ad excitandũ magnum incendiũ, ſicut accidit Herophonti, cuius prima ægritudo ſudore fuit iudicata, qui ſudor debuit eſſe nõ omnino diminutus, quandoquidẽ adeo diminuit, vt parum fuerit quod remanſit, ideòque ſolum trium dierum laborem excitauit. Menſura ergo reliquiarum humoris ex menſura præteritæ tum coctionis, tum euacuationis ſumenda eſt. Vt ſi præceſſit coctio exigua, ſi exigua etiam euacuatio, recidiua expectetur valde timoroſa. Sin aliter, procuiuſque ratione.

Exercitatio de Conuulſione.

G. 2. met. c. 2. AFfectus, qui græcis ſpaſmos dicitur, latinis eſt conuulſio, vſus tamen obtinuit, vt græcum hoc nomen apud latinos retineatur. A Galeno inter eos recenſetur, qui à proprio ſymptomate denominatur, hoc eſt à motu illo, qui in membris ſic affectis conſpicitur.

G. c. 3. & li. 3. eiuſdem c. 1. 6. Eiuſdem operis, c. 1. Inter eſt tamen aliquando, num ſpaſmos, an ſpaſma dicatis: quippè ſpaſma, licet pro ſpaſmo etiam accipiatur, nihilominus ſpaſma dicitur vnitatis ſolutio in neruoſis fibris, ſicut in oſſe catagma in muſculis vlcus, & ruptio, in arterijs & venis nullam propriam habet appellationem, ſed interdum vlcus, interdum vulnus, interdum etiam ruptio nuncupatur. Vt autem conuulſionis naturam, ſeu definitionem poſſitis comprehendere, neceſſe eſt ſupponere

ponere id, quod in Galeni doctrina frequentiſſimum eſt, videlicet muſculos non aliter operari, quàm retrahendo ſe ad ſuum principium, & hanc eſſe propriam eorum naturaliter ſe habentium actionem. Supponite rurſus ex eodem Galeno, conuulſionem ab actione propria muſculorum in nullo alio differre niſi, quia actio muſculi propria, hoc eſt, quæ per ſanitatem fit, voluntatis imperio fieri, actio vero eiuſdem præternaturam, nempè conuulſio, inuoluntaria eſt, quod diffusè Galenus tractat, ſimile quid reperietis apud eundem. G.3.loc.affect.c.6. & li. detr.rig. palp.c.6.

Iam ergo facile manet colligere conuulſionis definitionem: eſt namque conuulſio, vt plerique placet, contractio muſculi ad ſuum principium præter voluntatem. Sic quidem manet conuulſionis naturæ optimè explicata: ſi enim conuulſio à muſculorum ſanorum motu ſolum differt in eo, quod præter voluntatem fit, rectè hoc addito tota huius affectus natura manet explicata. Cæterum inſinuat Galenus, conuulſionem eſſe motum, circa quod plurimæ emergunt difficultates, quas enodare, propter opinantium varietatem, non leuis, ſed tamen non inanis erit labor. 2.Symp. cauſ.c.2. & lib.3. de tract. com. 42. & 6.ap. 3.3. epid. ſec.1.com. 4.

Offert ſe quæſitum valde frequens nũ conuulſio morbus ſit, an ſymptoma. Galenus ab hac diſquiſitione abhorrere videtur, ita inquiens. *Hac ſanè in re primum videtur Sabinus falſus, quòd paruam dixerit conuulſionem tremo-* G.3.epid. ſ.ct. com.4

rem

rem eſſe. Nam toto genere inter ſe differunt hi affectus. Nihil verò nunc interſit, affectus voces, an ſymptomata, functionum noxas. His verbis actionẽ lęſam & affectum, hoc eſt morbum, & ſymptoma poſſe dici inſinuat. Nihilominus cum definitio ex Caleno deſumpta conuulſionem motum eſſe ſtatuat, cumq; motus vitium, ſymptoma ſit læſæ actionis, non poſſet ille negare, in ſua met doctrina conuulſionem eſſe ſymptoma; Auicenna tamen aliter ſentit videlicet eſſe ægritudinem hoc eſt morbum, nam definit dicens, *ſpaſmus eſt ægritudo neruoſa, qua mouentur lacerti ad principia ſua, & inobedientes ſunt in dilatatione.* Cæterum conuulſio diuerſo modo conſiderata poteſt & morbus dici & ſymptoma: morbus dicitur (& ſic explicant Auicennam interpretes) vel quia ſenſibiliter lædit operationes (tunc autem abuſiuè, magis pro cauſa conuulſionis, quàm pro conuulſione ipſa accipitur) vel quia eſt morbus in compoſitione, hoc eſt, vel in figura, vel in ſitu. Itàque cum conuulſionem morbum eſſe dicimus, eum à conuulſiuis motibus ſeparamus, quod multi faciunt appellantes hos conuulſiuos motus conuulſionem in fieri, vel conuulſionem ſpuriam, eam vero iam factam, atq; legitimam, in qua membrum omnino contractum eſt. Conuulſiuos motus Auicenna, & ſectatores eius ſpaſmum nõ proportionatum ad materiam appellant, fierique

Auic. 2.3. tract. 1. c. 5.

aiunt

aiunt à cauſa moleſtante, & irritante naturam. Iſti igitur motus conuulſiui interdum in conuulſionem legitimam terminantur; quemadmodum torpor, aut ſtupor in paralyſim.

Diuerſam ſuſcepit viam Ioubertus, & tum Galeno, tum Vniuerſæ medicorum ſcholæ opponitur dicens, conuulſionem non eſſe poſtquam membrum eſt contractum; nam tunc rigiditas appellatur, quæ viuentibus & vita functis communis eſt, conuulſionem ſolum eſſe dicit cum membrum motibus agitatur.

Verùm facile eſt & Galenum, & vniuerſam medicā ſcholam à Ioubertis technis liberare: In primis Galenus, qui ſæpè conuulſionem per motum definit, non ſibi contradicit, quando eam fieri ait à ſolo morbo: nam tum quoque conuulſionem inter motus illegitimos recenſet, qui fiunt à ſolo morbo, ſi ergo inter motus illegitimos, non negat motum eſſe, ac proinde non ſibimet contraria loquitur. Inſurgit Ioubertus, & quaſi ad magnum abſurdum deducens exclamat, ſi conuulſio à ſolo morbo eſt, motus epileptici, qui fiunt à natura irritata, non erunt conuulſio. Sed quid mirum, non erunt quidem conuulſio, erunt tamen motus conuulſiui quos à vera conuulſione differre diximus, & à multis conuulſionem ſpuriam, ab Arabum vero familia conuulſionem non proportionatam ad materiam ap-

pella-

pellari, quocumque autem appellentur modo non eſſe veram conuulſionem iam ſatis eſt demonſtratum.

At motus, inquit ille, influxu eſt, nec conuenit rei ſtabili, quomodo ergo membrum retractum fixumque & immotum in motu eſſe dicemus? Multiplex huic obiectioni, eſt reſpondendi modus. Poſſumus namque conuulſionem eſſe motum dicere in ſenſu cauſali: quemadmodum enim ira dicitur feruor ſanguinis circa cor, quoniam ex hoc feruore pullulat, ſic dicere poſſumus conuulſionem eſſe motum, quia ex antecedente fit motu: etenim membrum per motum contrahitur, & contractio, tam dicitur de motu contractionis, quam de termino eius, ſicut perfectio, & coctio, ſic etiam quando febris dicitur conuerſio natiuæ caliditatis in igneam naturam conuerſionem pro conuerſionis termino accipimus, vt ſuo loco declarabimus. Sed quid plura poſtquàm contractionis motu pars aliqua ad cõtractionem, in qua formatur, peruenit motus eſt in ſuo termino, motum autem à ſuo termino non differre realiter ſchola philoſophorum apud Ariſtotelem fatentur. Non ergo peccabit qui terminum motus cum motu confundet.

Ariſt. 3. ph. tex. 4.

Cum verò negare non poſſet tetanum, & alios affectus, in quibus ex vtraque parte contentio fit, eſſe conuulſiones, licet membra ſic

affe-

affecta; non mutent locum, dicit eſſe motum tonicum (eſt motus tonicus, quo mobile ad contraria impulſum in eodem permanet loco, vt auis, quæ in aëre immota manet; & tamen non eſt ocioſa, quippè vbi moritur ſtatim concidit; duo luctatores parem vim habentes, & ille, qui aduerſo flumine tanta vi ſurſum natat quãta fluuius deorſum tendit) probat autem eſſe motum tonicum quia actio eſt: nam fortiùs ſolito ibi muſculi cernuntur agere, actio vero muſculorum non alia eſt quàm motus. Reſpondet Carrerus (& quidem non extra mentem Galeni) non recte dici tonicum motum, ſed tonicam actionem, timet enim motum appellare vbi locus nõ mutatur; actionem vero ſine motu eſſe probat tum exemplo conſeruationis, tum etiam reſiſtentiæ, vtraque eſt actio neutra autem motus. Mihi tamen magis placet motum ab actione non ſeparare: quippe actio, & paſſio eandẽ ſubeunt ſortem, imo apud Galenum vna pro alia accipitur; quamuis enim ſentire ſit quoddam pati, nihilominus ſenſationem actionem appellat, & vitiatam ſenſationem ad læſas actiones reuocat; cum igitur actio, & paſſio ita ſe habeant, cum rurſus paſſio à motu non ſeparetur, (quod latè probat Ariſtoteles, dicendum eſt actionem non diſtingui à motu. Ad exempla vero à Carrero allata reſpondere poſſumus conſeruationem, & reſiſtentiam (de vtraque

G. 1. de mot. muſcul. c. 8. & 2. eiuſdem c. 4. & de trem. ſig. palp. c. 4.

Ariſt. 4. phy. tex. . ;.

que

que enim idem ſentire oportet cum ambo cō-trarijs parem vim habentib. remitantur) motu quidem fieri, cæterùm mutationes & motus, qui in breuiſſimis ſpatijs feruntur in eodem loco manere videntur hoc Galenus an ita ſit ſub dubio reliquit, & aliud tempus diſcutiendum tranſmittit.

Ga. l. de mot. muſc. l. 1. c. 4.

Porrò Iouberto admitto muſculorum motum in tetano & alijs, quæ ab vtraque parte contentionem habent, motum eſſe tonicum, aut ſaltem tonico ſimilem: quippè verus tonicus à facultate fit, non autem à morbo. Dicat tamen ille, cur tetano motum tonicum concedit, non verò in emproſthotono, aut opiſthotono? Nihil aliud reſpondebit niſi in tetano, collum manere rectum, ac proinde ex vtraque parte, tam antica, quàm poſtica muſculos agere, in empoſthotono moueri ad anteriora, in opiſthotono ad poſteriora. quare in tetano datur vtrinque motus, in alijs ex vna parte rigiditas. At inepta quidem eſt iſthæc ratio, nam quoniam in tetano contrahuntur tam anteriores, quàm exteriores muſculi actio muſculorum eſt; in alijs quia contrahuntur vel anteriores vel poſteriores duntaxat, non eſt muſculorum actio. Imo verò ſi ad Galeni exemplum recurreret, inueniret quò inæqualior eſt contentio, eò magis motus rationem habere. Tres gradus conſtituit in tractione lapidis (hoc enim eſt eius exemplum) primus

mus quãdo lapis,aut lignum,aut aliquod corpus inanimatum trahitur, nemine in contrarium deducente. Secundus quando trahitur in vnam partem,altero in contrariam trahente, vincere tamen robore priorem, & propter hoc ſequi ipſum corpus, ſed multo minus quã ſi ab alio non traheretur. Tertius cum idem æquis viribus ad contraria trahitur. In primo gradu tractum fuit corpus in tantam diſtantiã in quantam illud trahens voluit trahere. In ſecundo tantò minus trahit, quantò ab alio in contrarium fuit tractum. In tertio, quia par vtrinque fuit tractio, tractum in eodem loco permãſit,nõ tamen manet immobile, perinde ac ſi à nemine traheretur. Iam igitur ex hoc exemplo conſtat, quid Iouberto reſpondere oporteat, in tetano contrahuntur æqualiter muſculi anteriores, & poſteriores, quare ad neutram partẽ corpus inclinat,in empoſthotono mouentur anteriores tãtum,in opiſthotono poſteriores duntaxat, ſunt igitur ſimiles priori gradui, in quo diximus lapidem trahi nemine in contrarium trahente. Igitur motus tonicus, tam vni conuenit conuulſionis ſpeciei, quàm reliquis, nec eſt cur differentiam ſtatuat Ioubertus.

Sed quoniam ait, membrum, quod erat rigidum in corpore viuente cum eadem rigiditate poſt mortem permanere; vnde infert, ſi poſt mortem, non eſt conuulſio, nec motus,

dum

dum vixit ſimiliter rigiditas erat, non conuulſio, neque motus. Quæram ego ab eo an ille, qui tetanum patiebatur maneat poſt mortem cum eadem colli rigiditate? aſſentire tenetur, neque enim poterit experientię contradicere. At ille fatetur hanc rigiditatem hoc eſt, tetanum, motum eſſe, ac ſubinde cōuulſionem, cur ergo in tetano hoc admittit in alijs negat? Sciat ergo rigiditatem in conuulſis ratione termini, viuenti & non viuenti, eandem eſſe, imò etiam & rigiditatem inanimatorum v.g. fidium muſicalium, at ratione principij eſſe res diuerſas. hoc probatur ex Galeno, quem ille ſuæ opinioni fauere exiſtimat: Galenus aduerſus Herophilum, & Praxagoram, qui affectum virtutis mouentis neruis, & muſculis tribuebant argumentum ducit ex corpore defuncto: inquit enim eſt in mortuis nullos neq; nerui neq; muſculi affectus experti ſunt, quos pati ipſos, & Herophilus, & Praxagoras arbitrantur: deſeruit autem eos omnes motus protinus vnà cum anima, cuius inſtrumenta muſculi ſunt, & nerui. proſequitur deinde rem declarās exemplo cytharæ & tibicæ, quarum ſonus non ipſis, ſed ſonatori, & tibicini debetur. Ioubertus hinc colligere contendit, ſi vbi primum anima receſſit iam non amplius in corpore illo eſt motus; ſi rurſus rigiditas manet poſt mortem eadem, quæ erat prius; ſi poſt mortem nec eſt motus nec cōuulſio, ita etiam

G.de trem. rig. palpit. c.5.

neque

neque dum vita aderat. non tamen oportebat ita colligere, ſed in hunc modum. Cum affe-ctus ſit animæ ſiue facultatis, protinùs cum anima receſſit affectus, quare rigiditas, quæ in viuente affectus erat, in mortuo, quia nō adeſt anima, non eſt amplius affectus. Atque ita manet manifeſtum, quod iam antea dixi, nempè rigiditatem in corpore viuente, & in corpore mortuo eandem eſſe ratione termini, non ratione principij: quippè in viuente facultas aderat, cuius affectus erat cōtractio, in defuncto, abſque facultate, contractio non magis erit affectus, quàm ſit in rebus inanimatis, vt in fidibus muſicalium inſtrumentorum. Quod autem rigiditas in corpore defuncto remanens potius cum rigiditate rerum inanimatarum, quàm cum rigiditate viuentis corporis conueniat, facilè percipietis. nam res inanimatæ, & ſimiliter nerui cadaueris, ſi ſcindantur non tenduntur verſus ſuum principium, ſed partim in hanc partem in illam partem ratrahuntur, at inconuulſione retractio eſt muſculi, ac nerui verſus ſuum principium, ratio huius rei eſt, quia vbi deeſt anima & facultas, nullum eſt principium verſus quod muſculi ſuam actionem peragant, & ſic abſente anima deeſt muſculorum actio.

Accedo ad torturam oris, & ſtrabiſmum illam à paralyſi fieri ait, hanc non à conuulſione, vt putauit Galenus, ſed à relaxatione & G.2.ſympt. cauſ.c.2.

mollitie muſculorum oculi fieri. Verum neque in tortura oris rectè ſe geſſit, neq; in Galeni reprehenſione prudenter. Et quod attinet ad torturam oris, fit quidem aliquando quia muſculis eius partis relaxatis, qui ſunt alterius non poſſunt non eſſe in officio, & tunc verùm eſt, quod ille dixit, nempè partem contractam eſſe ſanam, quod intelligatis velim medicè loquendo, quia ſcilicet parti contractæ, vt potè ſanæ, non applicantur remedia, ſed ſi philoſophice loquamur pars illa quoniã in ſuo debito ſitu non permanet non eſt omninò ſana appellanda. Itaque concedamus, fieri aliquando id, quod Ioubertus vult, videlicet diſtorqueri maxillam propter paralyſim partis laxatæ non propter conuulſionem contractæ, aliquando diximus, non ſemper imò hoc difficiliùs eſt, faciliùs verò fieri oris torturam trahente parte affecta præternaturam, altera verò in otio permanente. Quemadmodum ſi in manu nerui claudentes contrahuntur clauſa remanet ob eorum culpam externis nihil agentibus. Atque hoc qnidem commune eſt omnibus membris, qui oppoſitos habent muſculos, vt ſcilicet vno contracto eius oppoſitus otietur. De ſtrabyſmo eſt eadem ratio, nec video cur ille magis ad muſculi vnius reſolutionem, quàm ad eius contrarij contractionem affectum hunc referendum eſſe ſentiat. Verùm de his plura diximus quàm forſitan

ſitan ratio poſtulabat.

Quæret aliquis in quo genere ſymptomatum conuulſio ponatur. Et in primis in hoc conuenire oportet, quod ſit læſa actio, ſed cuius nam facultatis actio? nempe animalis mouentis: quippè ad motum pertinet. Galenus autem de different. Symptomat. motiuarum actionum prima ſymptomata eſſe ait immobilitatem, & vitioſam mobilitatem, huius autem alium diminutum infirmumq; motum, alium prauum, prauorum autem alium tremulum, alium conuulſiuum, alium palpitantem, alium vibrantem. Ex his colligetis, conuulſiuum motum pertinere ad deprauatam actionem. Sed dicetis, eum conuulſiuos motus dixiſſe, quos nemo negat eſſe deprauatos, non autem conuulſionem: quippè hæc magis videtur ablata actio, quàm deprauata, ſiquidem neruus conuulſus in termino ſui motus eſt, in termino autem ceſſatio, atque quies. Cæterum Galenus de conuulſione legitima, non de ſpuria, hoc eſt de motibus conuulſiuis ſe intelligere declarat, dum addit. Horum ſymptomatum aliqua vbi in toto corpore conſtiterint, diuerſam appellationem ſunt ſortita, veluti emproſthotonos, opiſthotonos, & tetanos; conſtat autem hos affectus eſſe legitimas conuulſiones. Deindè Galeni mentem eſſe, conuulſionem referri ad deprauatam actionem: conſtat iam toties citato vbi con-

G. de diff. ſymp. c. 3.

G. 2. cauſ. ſymp. c. 1.

uulſionem inter motus illegitimos collocat, illegitimi deprauati cenſeri debent,ſed multo manifeſtius de tremor. rigor. & palpit. vbi poſtquam inter alios affectus conuulſiones recenſuit, ait: omnes etenim huiuſmodi affectus vitiati motus ſunt, inſtrumentorum eorundem, quibus arbitrarij ſanorum motus obeuntur.

G.c.2.

Probari etiam poteſt conuulſionem eſſe motum deprauatum: quoniam eſt motus, ergo non ablatus, neque etiam eſt deminutus, vt patet,eſt ergo deprauatus. Quod ſit motus ex Hippocrate colligi poteſt, in libro de vlceribus,quem Galenus citat libro de tremore,rigore, & palpit. inquit enim magnus ſenex. Stare vlceribus minimè conducit præſertim ſi crura infeſtent, neque ſedere, neque ambulare, ſed quieſcere & otio vacare. Si igitur ſtare & ſedere quieti & otio opponitur, ſtare & ſedere eſt motus & actio. Sed adhuc inſtabit aliquis, à nobis ſuperius eſt dictum, muſculum conuulſum eſſe in termino motus, cæterum ſi motus ſuum terminum acquiſiuit, non dicetur vitiatus. Imò maxime, quippè terminum acquiſiuit, quem acquirere non oportebat; ſed adhuc dicet, terminum eſſe eundem cum termino motus à voluntate facti, quippè vt ſupra ex Galeno oſtendimus, conuulſio à motu ſanorum differt, duntaxat in eo quod ſanorum motus à

volun-

voluntate fit, conuulſio à morbo. At ego, aio, terminum acquiſitum à morbo, licet ſit idem cum termino motus ſanorum ratione loci, differt tamen ratione modi. ſiquidem motus ſanorum eſt liber, nempe ita eſt in termino vt pro arbitrio poſſit ibi eſſe & non eſſe, conuulſio vero muſculus in termino quidem eſt coactus, hoc eſt, ita eſt ibi vt inde non poſſit diſtrahi.

Quæritis inſuper, num ſit vitiata facultas an ſola actio; nam ex vna parte videtur actio dũtaxat læſa, quippe vitium eſt in inſtrumentum, quod ex morbo ineptum eſt admotionem; quantumuis facultas non ſit læſa; ex altera cum muſculus à facultate habeat, quod operari poſſit, ſi nequit, ſemper dicitur facultas laborare. Cæterum in hoc dubio dicendum eſt, dupliciter poſſe conſiderari membrum conuulſum; vel provt eſt contractum & ſic actio eſt læſæ, nempe deprauata, quod ſatis iam manet probatum, vel provt libere nequit dilatari, & tunc impedita dicitur actio, imò ex hac parte omnino ablata. Rudius dicit impeditam actionem, vt indicet vitium eſſe inſtrumenti, nam ſi labefactatam dicamus, ad facultatem pertinebit. Hæc tamen grammaticalis eſt conſideratio, dicemus igitur cogi quidem inſtrumentum ad deprauatum motum, nempe contractionis; facultatem vero impediri propter iſtum affectum atque ita re-

ſpectu facultatis impeditæ erit liberæ dilatationis ablata actio.

Sed cum motus iſte vitiatus ſymptoma ſit, cum rurſus omne ſymptoma morbum habeat à quo procedit, hic morbus curioſè ab aliquibus inquiritur. Sunt qui putent ex Galeno deduci poſſe morbum eſſe continui ſolutionem: ſiquidem continui ſolutionem in membris, conuulſionem appellari ait; ſed decipiuntur; nam vbi ſpaſmum legunt, oportuiſſe legere ſpaſma, quàm verò differant ſpaſmus, & ſpaſma initio diximus. Melius ergo eſt dicere morbum eſſe in compoſitione, videlicet in vitio pororum, quippè, ſiue humiditas, ſiue ſiccitas (vt mox videbimus) conuulſionem faciat, ſemper eam efficit meatibus præter naturam diſpoſitis, in humiditate namque dilatantur in latitudinem, eorum verò longitudo decurtatur: in ſiccitate item propter defectũ ſubſtantiæ humidæ minores redduntur. Sunt qui dicant morbum eſſe in quantitate nempè, ſi conuulſio fiat ab humido, erit in quantitate aucta, ſi à ſicco in eadem diminuta, non eſt inconueniens vnum ſymptoma, quod non eſt pathognomonicum, eſſe commune pluribus morbis, conueniet namque omni, ſed non ſoli, poteſt etiam conuulſio ab humiditate, morbus eſſe in compoſitione, à ſiccitate verò morbus in temperamento; vno, aut aliomodo ſentire cuilibet ſine erroris periculo datur.

G. 5. meth. c. 1. & alibi ſæpè.

De

De cauſa maior eſt decertatio. Hippocrates duplicem duntaxat commemorat, inquit enim, conuulſio fit vel ex repletione, vel ex inanitione ita verò & ſingultus. Cæterum Argenterius, ne cum magno Hippocrate ſimultates habere videatur, quas cum Galeno libenter ſuſcipit, excuſari quidem Hippocratem poſſe ait, imò potiùs defendi, Galenum vero nequaquam: nam Hippocrates non dixit conuulſionem fieri ab inanitione neruorum, ſed quod inanitio conuulſionem pariat, id quod verum eſt. Siquidem per inanitionem corporis acres redduntur humores, maligni flatus, generantur, & alia mala oriuntur, ex quibus conuulſiones, præſertim, quæ fiunt per conſenſum excitari poſſunt. H.6.aph.39

Conatur deinde probare à ſiccitate non fieri conuulſionem: quoniam antequam tanta ſiccitas accedat, quanta gignendæ conuulſioni eſt neceſſaria, mors præueniet: quippè ad conuulſionem requiritur humorem illum abſumi, quo neruus conſtat, ante quàm hic abſumatur, humores in vaſorum cauitatibus contenti exhauriuntur. Deindè ſi ſiccitas conuulſionem facit, tabidi, qui ad ſummum ſiccitatis peruenerunt conuulſiones patiuntur, contrarium autem experimento conſtat. Præterea ſimilitudinem quam affert Galenus ſæpè ductam à fidibus inſtrumentorum muſicalium, quæ ſiccitate dirumpuntur, & acorijs,

quæ igne contrahuntur, non admittit, nam cythararum fides iam priùs exſiccatæ, poſtea in loco ſicco repoſitæ, non habent partes circumuicinas, à quibus humiditatem poſſint ſugere, vt nerui habent, coria ita contrahuntur vt non poſſint amplius reduci, at ſiquis neruum hominis, qui conuulſus perijt manibus tractet eum ſequacem reperiet.

Hæc tamen omnia fruſtra ab Argenterio ſunt excogitata, & in mediũ producta, ſiquidem facilem, & expeditam habent reſponſionem. In primis ſiccitas, quæ potens eſt conuulſionem facere, non eſt neceſſe vt tanta ſit quantam ille ſupponit: ſi enim humiditas, quæ partes terreas glutinat, abſumatur non conuulſio, ſed incineratio conſequetur, ad contrahendos duntaxat meatus minor ſiccitas ſufficit, ſed ſimul eſt humiditas, quæ ex carnibus circumuicinis calore liquatis ad neruos confluit, eoſque humectat, quod ſi non fiat, conuulſio febri ſuperueniet, quam prauam eſ-
H.2. aph. 26. ſe dicit Hippocrates.

Tabidi non cõuelluntur: quoniam (vt Her-
Hercul.9. ad Almanſ. c.12. culanus ait) ſiccitas in hectica eſt vniformis & ferè æqualis per totam nerui ſubſtantiam, ex eo quod inducta eſt paulatim; in conuulſione autem ab agente violento, paruo tempore inducta, nec vniformis, nec toto neruo æqualis, vnde vna pars, magis quàm altera contrahitur, è contra qui in ſole aut in loco

cali-

calido permanent paulatim exſiccantur abſque contractione. Sic lateres etiam in fornace ſi ignis ſit mitis coquuntur, ſi fortis contorquentur. Siquis verò obijciat; colligi poſſe contractionem in conuulſione factam eſſe dũ fit, aut vt loquuntur ſcholaſtici, in fieri; ſiquidem conſiderat contractionem provt ſenſim inducitur. Reſpondeo in conuulſione non niſi inductam contractionem conſiderari, cæterum alio modo inductam, quàm in hectica: quippè in hectica eò deuentum eſt, vt omnes particulæ parem obtineant ſiccitatis gradum, in conuulſione ſiccitas celeriter introducta, licet omnes partes occupauit, quaſdam tamen minùs quàm alias. Fuit igitur initio tanta ab humiditate reſiſtentia; vt propterea conuulſiui fierent motus, deinde reſiſtentia hac fere ceſſante motus ceſſauit, & pars in eo ſitu manſit, quem morboſa cauſa poſtulat, nempè contracta. Eſſe autem conuulſionis ſiccitatem inæqualem ex eo vel maximè conſtat, quod Galenus non ſemel dixit conuulſionem eſſe affectum doloris plenum, dolor autem ab inæquali intemperie fit, ideo hectica febre laborantes non ſentiunt à calore febrili dolorem, quia ſiccitatem habent omnino æqualem.

Alia etiam poteſt dari ratio, cur in hectica febre non fiant conuulſiones, quæ etiam ratio à paulatino ſiccitatis ingreſſu accipitur. Nam dum paulatim partis humiditas exhauritur,

par-

partes, quæ remanent inanitæ, aëre replentur, quare non adeſt neceſſitas, quæ ad meatuum anguſtiam cogat. At verò ſi velociter, inæqualiter, & diſpersè exſiccatur humidum, eo concurſu, & diſperſione loca partium concutiuntur. Ex concurſu autem partium propter fugam vacui cõcuſſio fit, ad quam ſequitur conuulſio. Etenim ſi ſiccitas fuiſſet moderata, neque ad concurſum partium cogeret, vt vacuum impedirent, profectò vtilis foret, & agilitatem præſtaret: cum autem eo peruenerit, vt partes ad implendum vacuum ſuccurrentes concutiantur, iam vitioſa erit, & cõuulſionem inducet. Hoc Galenus agnoſcit, vt addiſcere poterimus, vbi ſic ait. Inſtrumentum, quò aridius eſt, eò magis aptum ad arbitrarium motum, niſi eo magnitudinis ſiccitas accedat, vt flecti membrum vix queat præ duritie, quo tempore cõuulſione ſicca capi promptum eſt. Sic ille, qui duritiem à ſiccitate meritò ſupponit: ſiquidem ex ſiccatæ partes non ob aliud fortiter vniuntur, niſi ob impetum, quo ad vacuum impediendum concurrunt.

G.3.ſympt. cauſ.c.3.

Itaque hactenùs infeliciter ſe Argenterium in ſuis obiectionibus geſſiſſe vidiſtis, non autem magis feliciter ſe geſſit in reprehendendis exemplis, quibus Galenus ad cõuulſionem explicandam eſt vſus. Nam quod ait fides cythararum non habere partes circumuicinas, à quibus humiditatem hauriant, neruos autem habe-

habere, ſi verum eſſet, vtique nullus eſſet morbus à ſiccitate, ſiquidem ſemper vicinæ partes humectatione exſiccationem impedirẽt. Non tamen exiſtimo illum morbos à ſiccitate negaturum, quod ſi negaſſet exſibilandus eſſet. Sciat autem oportet ſiccitate meatus conniuere & membrum decurtari, ſubinde cõtrahi: at ſi conniuent meatus, potius humiditatem à ſe expellunt, quàm illam attrahant. Exemplo vobis ſint madidæ veſtes aquilonari aëri expoſitæ, quippè præ ſiccitate omne humidum, quod imbibitum habebant exprimunt, & ex ſe eijciunt. Præterea, quando neruus exſiccatus attraheret, ex vicinis partibus, vicinæ etiam partes propriæ conſeruationi conſulẽtes humiditatem ſibi ſuam retinerent. Nec ſupponendum eſt ſuperflua humiditate ſemper carnes laborare; quod ſi non niſi eam quam habere oportet habeant, valenter retinebunt; ſed dicetis valentiùs agere ſiccitatem humiditate; ſit ità, ſed hac vos ratione conuincam: nam tunc carnes exſiccatæ trahunt rurſus à neruis, nec eſt maior ratio in vna parte quàm in alia, ſed ad ſophiſmata labi videbimur.

Conuincam præterea Argenterium ſuo ipſius dogmate: inquit enim eam humiditatem, qua terrenæ partes conglutinantur, non niſi putredine poſſe ſeparari. At choria & cythararum chordæ contrahuntur ex ipſius dogma-

te

te ob ſiccitatem, hoc eſt ob defectum humiditatis, quà terrenæ partes glutinantur (hanc ille ſiccitatem eſſe contendit, quæ ad contractionem requiritur) nunquid igitur choria, & cythararum chordæ, quando retrahuntur, putreſcunt? Choria, inquit, contracta, ſi manibus tractentur non cedunt, nerui autem cadauerum cedunt. Sed conſiderare debuerat, dari in rebus non animatis maximam contractionem, nihil enim eſt quod impediat, in viuente autem non tam vehemens contractio eſſe poteſt, quam mors præoccupet, ex minore igitur contractione prouenit, quod nerui cadauerum ſequaces ſint.

G. 13. meth. c. vlt. Demum, nequid deſit, quod ad conuulſionem ex ſiccitate ſpectat, meritò à Galeno ſæpè repetitum eſt, eam vix curari quidem poſſe, imò incurabilem omninò eſſe; ſi rationem

2. Aph. 26. ab eo quæritis, vobis ſatisfaciet inquit enim, maximum eſſe malũ, & penè inſanabile: quoniam longum tempus exigitur ad ſiccitatem neruorum remouendam: vehementia autem morbi tempus non expectat, ſed citò vires diſſoluit, & ſubitò exitium affert. Sic ille. Ego vniuerſaliore argumento vtor ſumpto ex conceſſis apud omnes. Morbus ſiccus difficilior eſt humido; (hoc quidem omnes admittunt, & nos alibi fuſius tractabimus) conuulſio ex humiditate valdè periculoſa eſt, (hoc quoque norunt omnes medicinam facientes) quid indè

ſequa-

ſequatur vnicuique licet inferre.

Arbitratur itaq; Argenterius conuulſionē, quam à ſiccitate fieri dixit Galenus, non quidem à ſiccitate, ſed ab humorum acrimonia gigni, comitem ille habet Herculem ſaxoniā, qui; quoniam Hippocrates in fine aphoriſmi citati poſtquàm dixerat conuulſionem à repletione & inanitione fieri, adiungit ita vero & ſingultus: diſcurrit per cauſas ſingultus, eaſque conuulſioni accommodat, neque aliàs in hoc quàm in illo affectu eſſe contendit, quoniam autem ſingultus à cauſa irritante fit, exiſtimat conuulſionem etiam, ſiuè à repletione, ſiuè ab inanitione accidat, non aliter excitari quàm per naturæ irritationem. Cæterum non colligitur ex his verbis id, quod ille exiſtimauit, nempè ſingultum eſſe veram conuulſionem,& preter cauſas conuulſionis nullas aliàs habere. Eſt ſingultus motus conuulſiuo motui ſimilis, à vomitu magnitudine duntaxat differens: quippè vomitu expelluntur ea quæ in vētriculi capacitate continentur, hoc autem facilius fit, quàm expulſio eorum quæ in tunicæ ventriculi ſubſtantia imbibita ſunt: hæc autem expulſio ſingultu peragitur, quod Galenus in commento prædicti aphoriſmi declarat.

Itaque eſſe motum conuulſioni ſimilem admittit Auicenna, qui definiens ſingultum dixit, eſſe motum ſicut ſpaſmum, quod accipiſſe videtur ex Galeno, vbi ait ventriculi motus, Au. lib. 3. fen. 13. tr. 5 c. 20. G. 3. ſympt. cauſ. c. 2.

qui

qui velut conuulſiuus eſt, qui in ſingultiendo accidit, conuulſio quidem in totum non eſt (vt potè, quæ in ſolis accidit muſculis, ventriculus autem nec ipſe muſculus eſt, neque eius, ſed
C. 4. veluti conuulſio quædam) & de differ. ſympt. dicit cum igitur circum cibos venter ſe conſtringit. cæterum cum palpitatione quadam, vel tamquam conuulſione, & tremore, & vibratu eiuſmodi conſtrictionis opus vitioſum fuerit. Sic ille, quid autem tamquam conuulſionem appellet, ſtatim declarat inquiens. Ac palpitationem ventris clare ſentimus, itemq; conuulſionem, ſingultum enim hoc ſymptoma nominant. hæc ſunt eius verba, quib. dum ſingultum tamquam conuulſionem eſſe fatetur, conuulſionem eſſe negat: quod autem eius
G. 2. ſympt. cauſ. c. mens fuerit hoc negare patet, vbi non ex propria, ſed ex aliorum mente, ſingultum quoque
5. Aph. 4. conuulſionis ſpeciem eſſe arbitratur. Quamuis autem dicat, quod autem & ſingultus cōuulſio ſit ſtomachi ſecundum Hippocratem, nos vtique nouimus, intelligere oportet pro conuulſione, conuulſioni ſimilē affectum. Sic
7. Aph. 3. qualis paſſio eſt conuulſio muſculis, talis conuulſio ſtomacho. talem dixit, hoc eſt ſimilem.
6. Aph. 39. Tandem cur aliquando conuulſionis nomine ſingultum dignetur (nempè concedendum eſt ſingultui conuulſionis nomē attribui) manifeſtabo quando aliud fuerit ſermonis propoſitum, non verò, quando ſingultus ſubſtan-

tiam

tiam volumus cognoſcere.

Porro cum ſingultus paſſio ſit conuulſioni ſimilis, ſimiles habebit cauſas; prẹter has autem nihil prohibet habere alias, nempe prẹter repletionem & inanitionem, etiam materiam mordentem, niſi velitis hanc materiam, ſiquidem euacuatione curatur, ad repletionem reuocare, quod quidē abuſiuè erit dictum: nam ſemper humor euacuatur, quia ſua quantitate nocet, ſed aliquando etiam (vt in hoc caſu) quia ſua qualitate moleſtat, & tunc valdè impropriè repletionem adeſſe quiſpiam dixerit. Cẹterum de ſingultu alibi exprofeſſo agemus, nunc ſufficiat dicere hanc paſſionem & à cauſis fieri, ex quibus fit conuulſio, & ab alijs præterea nempè irritantibus, quod ſibi contigiſſe narrat, ſi piperis aliquando immodicam quantitatem ingeſſiſſet. G.3. de loc. affect. c.7. in fine.

Sed iam proximè ad hos accedamus, qui dum ex ſiccitate conuulſionem fieri poſſe negant, cum videant corpora exſiccata conuelli, id fieri aiunt, quia humores ſiccitate acrimoniam acquirūt; ob hanc autem membra morderi & effugientia hanc noxam in conuulſionem incidere; iſti prætet quàm quod non agnoſcunt conuulſionē, ſed pro ea conuulſiuos motus accipiunt ſolamque eam admittunt, quàm diximus eſſe non proportionatam ad materiam, ac proinde ſpuriam. Dicant mihi num à ſimultaneis euacuationibus corpus exſicca-

ſiccari agnoſcant, non credo negaturos; dicant rurſus, an corpus ab huiuſmodi euacuationibus exſiccatum conuelli viderint? profecto, ſi medicam artem exercent, negare non poſſunt; quod ſi negauerint Hippocratem aduerſantem habebunt; quippè nihil frequentiùs eſt apud eum, quam lethale ſignum ex conuulſione ad ſuperfluas euacuationes ſuperueniente accipere. Sed nunquid hanc ſiccitatem ab euacuatione factam exiſtimant humoribus in corpore relictis acrimoniam tribuiſſe? tam ſubito nè iſthæc acrimonia eſt facta? profecto monſtrum loquuntur, qui hoc proferunt. Quare eos relinquo & ad alias conuulſionis cauſas me confero. Timeo tamen ne Galenum in contradictione reperiam à qua excuſari nequeat.

H.6.aph. 39. Propoſuit, vt vidiſtis Hippocrates duas tantum cauſas, alteram repletionem, alteram inanitionem; repletionem humiditatem appellãt medici, quia humectatio (vt Ariſtoteles ait) nunquam fit ſine corpore, inanitionem verò ſiccitatem: quippè id quod inanitum eſt exſiccatum manet. Sed dantur ne præter has duas

Gal. 8. de cõp. med. per loc. c. 3. cauſas aliæ? certè Galenus ſic ait, *Hippocrates quidem igitur conuulſionem fieri dixit ex repletione, & euacuatione, & additum eſt ad aphoriſmum ferme in omnibus exemplaribus, ſic autem & ſingultus, ego verò in conuulſione tertium aliquã cauſam ſupra repletionem, & euacuationem, nõ dum*

reperij;

reperij; conſideratione in primis dignum eſt, dictum abeſſe in exemplari ferè omni vt inſinuaret aliqua eſſe exemplaria, quæ hac vltima aphoriſmi parte carerent. Sed de ſingulta iam dictum eſt; quod autem conuulſionem dicat ſe nunquam ab alia cauſa niſi à repletione & euacuatione factam reperiiſſe, immemorem illum ſui ipſius eſſe arguit: quippè alias alibi cauſas affert. nempè repletionem, mordicationem, frigiditatem, & vltimo loco inanitionem, ex qua neminem ſanatum vidit, aut alium narrantem audiuit. Iam ergo præter duas cauſas repletionem ſcilicet, & inanitionem duas alias nobis affert, nempè mordicationem, & frigiditatem. Cæterum mordicationem poſſumus dicere potiùs eſſe cauſam conuulſiui motus, hoc eſt conuulſionis ſpuriæ quàm veræ, Galenumque ibi cum de curandi methodo ageret, vtramq; conuulſionem tam legitimam, quàm ſpuriam attuliſſe, ne quid quod ad curationem pertinet omiſiſſe videretur, quod animadnertit Valleſius; & hæc mihi videtur melior reſponſio quàm aliorum, qui dicunt ex irritatione concurrere ad partem materiam, ex cuius concurſu repletio fit, ex repletione autem conuulſionem & ita ex irritatione conuulſionem ad eam quæ ex repletione referendam eſſe cenſet. Sed fruſtra, tum quia irritatio, ac proindè conuulſiuus motus prior eſt quàm repletio, vnde non poteſt re- Vall.5.cōt. c.16.

K ple-

pletio eſſe cauſa illius motus; tum etiam conuulſio, quæ fit ab irritante cauſa eſt motus factus à natura irritata, conuulſio autem vera à ſolo morbo, quod iam ſatis declaratum ſuperiùs eſt, tum denique quoniam (vt annotauit Marcellus Donatus) tam poteſt irritatione materia deduci ad neruos, vt fiat repletio, quã etiam abduci à neruis vt fiat inanitio, ac proinde irritatio; ſeù ab irritatione agitatio, non magis ad repletionem quàm ad inanitionem referri debet. Tandem conuulſio ex repletione fit, quia pars in tumorem eleuatur, vt diſtenſio fiat ſecundum latitudinem, contractio verò ſecundum longitudinem; vt accidit fidibus cythararum poſitis in loco humido.

Marcell. Donat. hiſtor. medic.

Tantum ergo abeſt vt inanitio generando humores acres, & mordaces conuulſionem pariat; quin potiùs contrarium à Galeno meritò ſit dictum, videlicet humores acres ſiccitatem efficere, à qua conuulſio: ſic enim inquit: & videtur iſta conuulſio (loquitur de ea quæ mordicatione fit) ijs qui ab elleboro purgantur, non dicta ab Hippocrate, aliquando fieri. Niſi per Iouem, illam dixerit quiſpiam fieri ex inanitione, cum humores mordaces vim habeant exſiccandi. Ex his verbis colligite humores mordaces exſiccãdo conuulſionem efficere, ac proinde, conuulſionem ex inanitione non eſſe dicendum fieri ob mordacitatem, ſed eam, quæ ab humoribus mordacibus

cibus fit, fieri ob exſiccationem. Hanc Galeni doctrinam non attuli quia veram eſſe exiſtimem, imo nec ipſe conſtanter eam tenet, vt oſtendunt verba, (niſi quiſpiam dixerit,) ſed volui ſolum ſignificare, ſiccitatem non gignere conuulſionem media mordicatione, ſed mordicationem media ſiccitate. Et profectò fides muſicalium inſtrumentorum & coria cõtracta à ſiccitate diſtenſionem contractionemque habent, vt hinc vel maximè liceat inferre, ſiccitatem eſſe oportunam ad generandas, citrà omnem mordicationem, conuulſiones.

Itaque non eſt dicendum mordacitatem reduci ad repletionem, quod ſatis manet demonſtratum, nec etiam ad inanitionem: nam Galenus diuerſas cauſas ſtatuit dum loco ſupra citato numerans quatuor cauſas, priùs poſuit tres repletionem, mordacitatem, & frigiditatem; deinde addidit quartam, nempè inanitionem, quam dixit eſſe inſanabilem. Deinde etiam frequentiſſimum eſt in Galeni doctrina quam ab Hippocrate didicit, conuulſionem ab inanitione, aut inſanabilem eſſe, aut ſaltem vix ſanabilem, ea verò quæ ab irritatione fit facilè ſanatur.

Sed quid de frigiditate dicendum eſt? profectò Galenus in illo 12. meth. citato cauſam per ſe præter reliquas ſeparatam hanc recenſent inquiens, vel ex frigore ingente, quod ta-

le quale gelu efficit. Ex his verbis vult Carrerus inferre, frigiditatem non conuellere irritando ſed congelando; mihi tamen non ita videtur, ſed efficere frigidam cauſam id, quod exterius frigiditas & gelu efficiunt: non nè Hippocrates dixit, frigidum conuulſiones diſtentiones, liuores, rigores febriles efficere, ſed quomodo conuulſiones efficiet? nempè mordicando, mordicationem in frigore quis non agnoſcit? quis negabit frigidum neruis eſſe inimicum? Igitur qui mordacitatem à vehemente frigore auferre velit, contra id quod manifeſtum eſt loquetur. Quapropter videtur mihi Auicen. rectè inter cauſas ſpaſmi nō proportionati ad materiam, infrigidationem recenſere. Propterea nos ſicut priùs irritationem diximus motuum cōuulſiuorum eſſe cauſam, ſic etiam eorundem cauſam frigiditatem ſtatuimus. Quãdo autem Hippocrates conuulſionibus per remedia calida mederi, docet, cur de motibus conuulſiuis eum loqui non admittimus, Carrerus nō admittit cęterum legislatorum more. Manifeſtum eſt autem (quod Carrerus non negat) motus conuulſiuos à frigore fieri ſic Galenus ait, ſi frigus vel muſculos thoracis apprehenderit vel neruos, durities quædam inſtrumentis adueniet, & motus conuulſioni ſimilis.

H.5.aph.17

H.4.de arti cul.tex.21.

G.6.aph. 54.

Frigiditas tamen, quæ conuulſiuos motus efficit, ſi augeatur poterit neruos muſculoſq; indu-

indurando conuulſionem gignere; vnde Hippocrates ait, *In febribus ſpiritus offendens, malum: conuulſionem enim ſignificat*, nempè ſpiritus offendens, hoc eſt reſpiratio interrupta; qualis in pueris plorantibus conſpicitur, ſignificat futuram conuulſionem: quippè motus ille conuulſiuus, ſi cauſa augeatur in veram deueniet conuulſionem. Porrò ex frigiditate conuulſionem cum auditis, intelligere oportet ex frigiditate mordicante conuulſionem ſpuriam, & validiore denſante legitimam. Cumque præter duas illas cauſas repletionem, & inanitionem detur frigiditas; Hippocratem eſcuſabimus, qui duas illas expreſſit, tertiam non negauit. Hac excuſatione Galenus non eſt dignus, qui præter duas tertiam ſe nunquam reperijſſe fatetur. H.4.aph.69

Sunt qui frigiditatem ad repletionem reijciant, quoniam frigiditas difficilem difflationem facit, difficilis autem difflatio occaſionem præſtat vt nerui repleantur. Hoc ex Galeni doctrina accipiunt: ſiquidem hæc ſunt eius verba, algor autem, & frigiditas omnis, eò quod omnia neruoſa corpora efficiunt ad difflandum difficilia, ſunt cauſa vt hæc repleantur, & hoc intelligunt a Galeno eſſe dictum, vt modum oſtendat, quo ex frigiditate fit conuulſio & alibi non ſemel frigidum conuulſiones, & diſtentiones facere natura eſſe aptum, nempè difflationem impediendo, & G.6.aph.19 G.5.aph.22

ſubindè augmento humorum occaſionem præſtando. Verùm licet concedamus poſſe à frigiditate aliquando repletionem fieri, à repletione autem conuulſionem, tunc erit cauſa valdè remota, nec tamen iccirco negandum eſt frigiditatem ſæpè, prout eſt cauſa proxima, conuulſionem efficere.

Alij dicunt frigore exprimi humiditatem in neruos; hoc tamen iam ſuperiùs refutauimus, Auicenna videtur velle congelatione facta à frigore reddi humiditatem minorem, videlicet (vt Gentilis explicat) minorem ſecundum extenſionem, ac proindè efficiet conuulſionem ex ſiccitate. Verùm congelatio magis propriè, magiſque per ſe, indurando inſtrumentum conuulſionem faciet, quàm materiam condenſatione in minore ſpatio recludendo.

Præter has cauſas, fieri etiam poteſt conuulſio ex flatu, quod Galenum non latuit: ſiquidem ſic ait, *ſiue igitur ad principium tenſis, ſiue flatus influxu impletis muſculis voluntarij motus erant obiti*; hæc eadem in conuulſione accidunt, tum ſpiritu flatuoſo in muſculis gigni potente. Galenum ſequitur Auicenna dicens, & non eſt quidem longinquum, quin ſit ſpaſmus eueniens à ventoſitate inflatiua ſparſa: ipſe enim eſt ex eis, quæ plurimum accidunt. Poſt hos Fernelius idem ſentit, fieri enim ait conuulſionem à flatu craſſo, qui occupat,

G.2.de cau. ſympt. c.2.

pat, & replet neruos, diſtenditque ſecundum latitudinem ſicut humor, & contrahit ſecundum longitudinem.

Cæterum vt hoc aliquando ità poſſe accidere certum eſt, ita falſum quod Andreas Cæſalpinus exiſtimauit, videlicet nõ ab alia cauſa, quàm à flatuoſa ſpirituoſave ſubſtantia omnem conuulſionem fieri. Id ſibi perſuadet quoniam cadauera eorum, qui conuulſione perierunt manent laxata, non contenſa. Sed hoc fundamentum eſt contra experientiam, manent namque conuulſorum cadauera contracta quemadmodum ante interitum fuerant. Adiungit rationem, quam ſuperiùs iam ſoluimus, nempè ſi à ſiccitate eueniſſet conuulſio tabidos omnes debere conuulſiones pati, tandem ait Hippocratem & Galenum, qui dixerunt fieri conuulſionem ex repletione, & inanitione, non tradidiſſe cauſas immediatas, ſed remotiores: ex repletione enim fit non humore extendente, ſed quia occludit meatus ſpiritus; inanitione verò non neruorum, ſed totius corporis, vt patet in ſuperflua euacuatione, atque ne detur vacuum ſpiritus commouentur & replent, quod indicat horror, qui fit in vrinæ excretione ex Ariſtotele. *Ariſt. ſect. 8. prob. 9.*

Modus autem quo fieri conuulſiones arbitratur, eſt huiuſmodi. Spiritus propter cauſas moleſtantes agitantur, faciunt autem

conuulſionem, quoniam intercipiuntur propter cauſam, quæ valet meatus occludere: ſic enim ſpiritus exitum non habentes diſtendunt quouſque clauſio ceſſat. Pulſus autem indicat flatum eſſe immediatam tenſionis cauſam: nam in hoc affectu pulſus eſt durus, arteria ad ſimilitudinem chordæ tenſa, & ſurſum deorſumque agitatur inſtar vibrantis.

Hæc omnia fruſtra ab hoc authore dicta cenſeri debent: oportuerat namque ante omnia declarare, cur flatus meliùs diſtendat, quã humor, quod certè facere non poteſt, quippè humores craſſiorem habent ſubſtantiam, & maiorem quantitatem; quàm flatus; quare ſi humoribus exitus non pateat, multò fortius & pertinacius diſtendent, quàm flatus, quorum eſt facilis diſſolutio. Deinde ſi inanitio eſt totius corporis, non eſt cur ſpiritus ad neruorũ cauitates ferantur ne detur vacuum. Tandem multi ſunt tympanitici, multi hypocondriacis affectibus vexati, qui plurimos flatus gignunt, nec conuulſionibus tentantur. Abeat igitur cum ſuo hoc paradoxico & valdè erroneo inuentu. Sed ſatis iam ſuperque cauſas in examen videmur reuocaſſe.

Inquirere autem oportet quæ nam ſit pars affecta in conuulſione? Poterit aliquis exiſtimare eam eſſe neruum, & ad hoc perſuadendum non deerunt in Galeni doctrina varij ſatiſque euidentes loci. In primis ſic ait, quemadmo-

G.3. cauſ. ſymp. c. vlt.

admodum vbi vel brachium, vel crus, vel muſculus vnus tenditur, ac violenter conuellitur, vnius ſemper nerui, qui particulam mouet vitium eſt. Conuulſionem ad ſolos neruos primario pertinere affirmat. G.7. aph. 13

Alij non neruis ſolum & muſculis ſimul hunc affectum tribuunt, qui Galenum quoque fautorem habent, vt videre eſt apud eum, vbi ſic habet, *verum qui muſculis & neruis perficitur* (nempè motus) *perquem & manus & crura mouemus in tremoribus, conuulſionibus, rigoribus morbidis.* G. de trem. rig. palp. c. 2.

Alij muſculis ſolum, idque ex Galeno accipiunt ſingultus in totum conuulſio eſt, vt quæ ſolis accidit muſculis. Alij ad omnes neruoſas partes ex eodem ſic. Ipſe docuit Hippocrates conuulſionem ex inanitione & repletione fieri corporum neruoſorum, à quibus ſecundum electionem motus perficiuntur: ſunt autem nerui, muſculi, ligamenta, tendines. In hanc ſententiam etiam trahi idem poteſt, quando ſingultum conuulſionem ventriculi appellat, & quando in laborantibus hyſterica affectione vaſa vteri conuelli dixit. G. 3. cauſ. ſymp. c. 2. H. 5. aph. 1. G. lib. diff. ſymp. c. 4. 6. Loc. aff. c. vlt.

Cæterum tametſi Galenus ſi diſtinctè loqueretur omne dubium poſſet auferre, nihilominus ex confuſa eius locutione hoc vnum poterimus aſſerere vt eum à contradictionis nota vendicemus. Nempè cum motus voluntarius, & conuulſio ratione principij duntaxat

xat differant, quippè voluntarius à facultate fit, conuulſio à ſolo morbo, ratione inſtrumẽti non differunt, ſed vnum & idem eſt inſtrumentum voluntarij motus & eius qui conuulſio appellatur. Cum rurſus voluntarij motus inſtrumentum proximum ſit muſculus, quotieſcumque Galenus muſculo conuulſionem attribuit de conuulſione legitima ac propria loquitur, quando vero alia membra conuelli dicit, impropriam quandam conuulſionem & non niſi per ſimilitudinem talem intelligit. Poſtularet hic locus, vt muſculum arbitrarij motus inſtrumentum proprium eſſe demonſtrarem, verum quoniam res eſt valdè manifeſta, & à Galeno ſæpiùs repetita, ab alijſque vſque ad nauſeam pertractata, ab hoc labore in præſens ſuper ſedebo, quem tamen commodiorem occaſionem aliquando nactus accipiam.

Multa de conuulſione diximus & de tribus eius ſpeciebus, vt de tetano, emproſthotono, epiſthotono, de prognoſticis, quæ ab hoc affectu accipi poſſunt, & de affectibus à quibus in hunc periculum eſt labi & alijs huiuſmodi, quoniam tamen horum omnium ſparſim in hiſtorijs Hippocratis fit mentio, ſparſim ſuis locis, ne confuſus fiat aceruus à nobis, qua poterimus diligentia tractabuntur.

Exer-

Exercitatio cur ægrotantes interdum propè mortem meliùs habere videantur.

Contingit aliquando, vt ægrotantes re ad triarios deducta, ſanitatis ſpecimen præ ſe ferant, quo & ægrum, & aſſiſtentes illudunt, & aliquando medicos niſi ratione & experimento ſint præſtantes: nam qui Hippocraticis præceptis ſunt imbuti cum ante oculos habere debeant magni viri ſententiam admonẽtis ne fides ijs habeatur, quæ præter rationem eueniunt, decipi haud quaquam poſſunt. Huius euentus rationem reddunt aliqui, inter quos eſt Mercurialis; quoniam natura quaſi fatigata paululum deſiſtit à pugna, ad quam rurſus rediens occumbit. Cæterum (vt iam dixiſſe memini;) diſplicet mihi valdè à rebus liberè operantibus, ſeu ab actionibus animalibus, ad naturales, quæ neceſſariò agunt, argumentum deducere. Quieſcit homo defatigatus, in cuius libertate eſt refectioni virium incumbere, non ſic autem quieſcit natiuus calor quamtumuis laboret: ſiquidem ſemper ad vltimum potentiæ agit.

Quærẽda igitur eſt aliundè ratio, nec vnam duntaxat, ſed plures repetio. In primis referri hoc poteſt ad extremum conatum, qui ſi non prorſus expellet malum, facit tamen abſcedere à quibuſdam partibus, & ſic ſalutis ſpes ſe ſe incipit inſinuare, donec nouo impetu excre-

menta

menta irruunt, & præ virium impotentia iterum abſcedere nequeunt, vnde vltima pernicies ſuperuenit.

Poteſt etiam referri ad quandam veluti gangrænam, & extinctionem naturalis caloris ob ſpirituum defectum: nam appropinquante morte partium ſenſus minuitur, facultatumque ceſſat actio, quare ſymptomata etiam quodammodo ceſſant, hæc autem ceſſatio mors eſt.

Ad facultatis prætereà debilitatem hoc ipſum referendum eſt: quippè debilis facultas deſinit excrementa mouere, excrementa verò quieta quàm mota minùs moleſtant, magis tamen nocent, tacito tamen nocumento, quod ſuo fine prodit.

Non diſplicet mihi Cardani reſponſio: videlicet in lethalibus morbis dari etiam aliquã quietem, tum ob horas diei: ſemper enim matutina hora ægrotantibus eſt fauorabilis; tum ob motum materiæ, quæ aliquando accipit viam, in qua minus moleſtat, licet in ea non perſeueret; tum ob aſtrorum diſpoſitionem: certiſſimum namque eſt corpora noſtra ſupernis lationibus eſſe ob noxia; tum ob comparationes cauſarum, vt ſi comparetur exacerbatio huius horæ cum exacerbatione heſternæ diei in eadem hora.

Exercitatio de die Vigeſimo.

NVmerantur dies decretorij à primo inſultu ad vigeſimum vſq; diem per quaternarios; à vigeſimo ad quadrageſimum per ſeptimanas; à quadrageſimo ad ſepteſimum per numeros vicenarios, à centeſimo verò per centenarios. Hinc colligo maximam vigeſimi præſtantiam: tres enim prærogatiuas habet, prima eſt, quod adhuc participat primam numerandi rationem, ſub qua & ſeptimus, & decimus quartus comprehenduntur, ad quos omnes per quaternarios ſcãdit; ſecunda quod principium & fundamentum eſt numerandi per ſeptimanas, quas ad omnem mutationem magni momenti eſſe omnes norunt; tertia quod potentiam ſuam vſque ad centeſimum diem oſtendit; ſiquidem ad centeſimam, ſi rectè computatio facienda eſt, per multiplicationem vigeſimi debet fieri.

Poſſumus tribus his prerogationis quartam adſcribere experientiam, quam nobis Hippocraticæ hiſtoriæ præſtant, cum in his frequentes iudicationes vigeſima die factæ narrentur. Nam preter Philini vxorem, de qua in preſens, Cherion etiam, & Eurianactis filia vigeſima die criſino habuerunt, vt iam hinc poſſimus colligere aduerſus Dioclem, & Archigenem, qui vigeſimumprimum, non autem vigeſimum decretorium eſſe dicebant. Quin etiam Cornelius Lib.3.c.4.

nelius

nelius Celſus eiuſdem fuit opinionis, & forſitan exiſtimauit hanc eſſe Hippocratis doctrinam, cum enim Hippocratem ſemper ſequatur ſi agnoſceret magnum ſenem vigeſimam diem decretoriam agnouiſſe, non auſus fuiſſet ab eo recedere. Itaque Celſus in Hippocratis libris quoties de diebus, qui iudicandi vim habent ſermo incidit, ſemper vigeſimæ primæ mentionem factam reperijt in epidem: quidē in hiſtoria vxoris Dealcis, quæ in horto decumbebat, iterum verò his verbis circuituum, qui iudicantur diebus imparibus, primus eſt tertius, quintus, ſeptimus, nonus, vndecimus, ſeptimus decimus, vigeſimusprimus. Præterea ſudores febricitantibus boni, qui inceperint die tertio, quinto, ſeptimo, nono, vndecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, vigeſimoprimo, libro etiam 1. de morbis vigeſimi primi mentionem facit. Hæc quidem ita ſunt; verum debuerat Celſus hiſtorias ſuperius dictas conſiderare in quibus criſes vigeſima die factæ commemorantur, vt hanc vigeſimam non omitteret, quàm Galenus iure optimo vigeſimę primæ prætulit, vtpotèq; frequentiores quam vigeſima prima criſes afferat.

H.1.epid.

4. Aph.64.

G.lib.3. de dieb. dec. c.9.

Eſt etiam alia ratio, quæ perſuadet, vigeſimam diem amplexatum fuiſſe Hippocratem, tamquam præcipuam iudicatricem, nempè quia decretorios poſt tertiam ſeptimanā omnes à vigeſimo non à vigeſimo primo numerat.

tat. nempè 24. 27. 34. 37. 40. quod ſi à vigeſimo primo calcularet eſſent critici 25. 28. 32. 35. 42. quorum non meminit vnquam. Quid plura, non ne idem Hippocrates, vigeſimum decretorium eſſe ſanciuit? Imò maximè: inquit enim primus impetus in hunc modum finitur (nempè die quarto) ſecundus verò ad ſeptimum producitur: tertius ad vndecimũ: quartus ad quartum decimum: quintus ad decimũ ſeptimum: ſextus ad vigeſimum: Vocat autem impetus; quoniam in vigeſimum vſque diem morbi impetu ferũtur; deinceps verò multum de vehementia perdunt dicente Galeno, vſque ad vigeſimum quartum quidem diem magis fieri in morbis mutationes, proximo loco ſuccedere quæ vſq; ad vigeſimum habentur. Quæ verò poſt hunc; ad quadrageſimum vſque ſuccedunt; paulatim vehementiam, efficaciamq; amittere, ſicut à quadrageſimo omnes prorsùs languent; coctione potius, & abſceſſibus, quàm criſibus morbos finientibus. Accedunt nihilominus interdum poſt quadrageſimum criſes per excretiones, ſed admodum raró citra magnam vehementiam, & quæ pluribus diebus complentur.

H. 3. prog. 3

G. 1. dier. decret. c. 10

Porrò præſtantia vigeſimi diei ex eo prouenit; quod ſeptimanas tres conſtituit. Hoc autem erit vobis facile intellectu; ſi ad computandum Hippocratica doctrina incedatis instructi, iuxtà quam innoteſcit non eſſe numeran-

meran-

merandos ad ſeptimanas conſtituendas dies integros ſed mutilatos,non quod vnuſquiſque dies ſeorſim mutiletur:nam integri 24. horarum aſſumendi ſunt, ſed quoniam ille dies, qui quaternarium, aut ſeptimanam conficit mutilus debet eſſe ; quippè nec annus, nec menſis integro die vltimo complentur. Annus trecentos ſexaginta quinque dies habet & particulam inſuper vnius diei maiorem, quàm eſt pars quarta : videlicet ſi quadranti vnius diei centeſimam vnius partis partem adijciamus. Menſis abſoluitur non triginta diebus integris ſed viginti nouem cum dimidio. Sic ſeptimana ſexta diei parte indiget vt ſeptem integros dies habeat, eſtq; dierum ſex & horarum quatuor. Mutilandos eſſe dies ad comprehendendum inter decretorios vigeſimum addiſcimus à magno magiſtro, qui poſtquam 3. progn. citato impetus morborum (vt diximus) recenſuit, inter quos vigeſimum repoſuit, textu ſequente addit. Fieri vero non poteſt, vt horum vllus integris diebus ex actè numeretur ; non enim annus, ac menſes integris numerari diebus natura apti ſunt. Hæc ſunt eius verba, ex quibus colligere poſſumus eum vigeſimum diem inter decretorios numerari voluiſſe, alioquin ſi vigeſimumprimum prætuliſſet non erat cur dierum mutilationem inculcaret.

Calculare igitur in hunc modum poſſumus.

Cur-

Curſus lunarius (iuxta quem criticorum vim debemus inquirere) ſeù menſis peragrationis lunæ ſub Zodiaco diebus viginti & ſeptem & triente, hoc eſt horis octo completur. Hoc tempus ſi in quatuor ſeptimanas diuidatur, vnaquæque earum habebit dies ſex & horas viginti. Accipite ergo tres ſeptimanas & efficient dies viginti cum demidio, ac proindè erit in confinio inter vigeſimum, & vigeſimum primum. Cæterum quoniam in criticorum vi indaganda, nec ab aſtrologis omnino recedendum eſt, neque adeo illis adhærendum, vt omnino phyſicam rationem relinquamus, conſiderare oportet (id, quod iam ſuperiùs cæpimus dicere) decretorios, vſque ad vigeſimum impetus ab Hippocrate nuncupari, & morbos eò vſque accedentes, acutiſſimos cenſere. Iſte igitur impetus, iſta acuties velocitatem aliquam morbo præſtare debent, ſit igitur velocitas talis, quæ per vnius horæ demidium duntaxat anticipare faciat, iam ergo ex viginti cum demidio remanebit ſolus vigeſimus & nil vltra.

Galenus aliter à vigeſimo die cum dimidio illum diem ſuffurari conatur, ſed miſerè labitur: quippè eius ratio ſtare nullo modo poteſt: exiſtimat namque acceſſiones vigeſima die iam inueteraſcere, ac proindè paribus diebus accidere, quæ verò in imparibus fiunt ad vigeſimam primam delabuntur. Videtur tamen

L men

men mihi faſciculum errorum confeciſſe; quippè in his pauciſſimis verbis tres ſaltem lapſus comprehendo. Primus eſt quod morbum vigeſima die inueteraſcere ait, parum oblitus verborum Hippocratis ſic dicentis. Hi ergo ex morbis acutiſſimis per quatuor ad viginti additionem terminantur. Sic Hippocrates; ſi ergo vigeſimo die morbi ſunt acutiſſimi, profectò non dum hac die veteraſcere dicuntur. Et quis dubitat adhuc vigeſimum eſſe terminum acutorum, qui ſi exactè acuti non ſunt, at ſaltem non adhuc ſunt acuti ex
2. Dieb. decret. c. 12. decidentia; quod Galenus met non negabit; ſiquidem ſcriptum reliquit, morbum exactè peracutum quatuor diebus terminari peracutum ſeptem, acutum exactè quatuordecim, acutum ſimpliciter viginti, & hinc ad quadrageſimum ex delapſu acutum nuncupari.

Alter verò error eſt, quod ait acceſſiones propterea quod iam inueteraſcunt paribus diebus accidere, ac proindè vigeſimo, qui par eſt. Non eſt quidem negandum vigeſimum diem eſſe parem ſiquidem ex duobus numeris integris ſine mutilatione vnus componitur nempè ex duobus denaris, quare acceſſiones, quæ diebus paribus accidunt, vigeſimo accidere poſſunt. Cæterum iam ſuperiùs (cum de acceſſionibus, quæ paribus diebus accidunt ageremus) dixiſſe memini, decimum quartum eſſe ſimul parem & imparem, videlicet parem

arithme-

arithmeticè, imparem medicè, ac proindè poſſe iudicare tum acceſſiones, quæ fiunt diebus paribus, tum eas, quæ imparibus; nam non eſt omnino neceſſarium, vt dies acceſſionis & dies criſeos ſimul coincidant: quamuis id magna ex parte ita fiat. Idem nunc de vigeſimo die repetendum eſt: arithmetica computatio vigeſimum parem facit, medica verò imparem: ſic quidem norma medica computandi iubet, vt ſecunda ſeptimana ſeparata incipiat, hoc eſt die octauo, tertia verò coniuncta, hoc eſt die quartodecimo, vt ſecunda ſeptimana nullum diem prioris occupet, tertia verò ſecundæ vltimum. Iccirco Hippocrates *ſeptenorum*, inquit, *quartus eſt index, alterius ſeptimanæ octauus initium, eſt autem & vndecimus contemplabilis: ipſe enim quartus eſt ſecundæ ſeptimanæ. Rurſus verò, & ſeptimus decimus contemplabilis: ipſe ſiquidem quartus eſt à decimo-quarto, ſeptimus verò ab vndecimo.* Hæc eſt medica computatio: ſi ergo decimus ſeptimus, eſt quartus à decimo quarto, manifeſtum eſt tertiam ſeptimanam accipere in ſe diem decimum quartum à quo incipit. Itaque vigeſimum diem morbos etiam, qui diebus imparibus exacerbantur, iudicare poſſe opportunum eſt. H.2.aph.24

Tertius tandem error, dum ait morbos qui iudicantur imparibus ad vigeſimum primum delabi. Deus bone idem met Galenus morbos, G.4.aph.36

bos, qui diebus imparibus acceſſionem habent, citiùs iudicari vult, ſi citiùs, cur non in vigeſimo iudicantur, ſed tranſmittuntur ad vigeſimum primum? Dicet fortaſſe non iudicari vigeſimo, quia vigeſimus nequit iudicare eos, qui diebus imparibus exacerbantur. At ego inquiam, hos poſſe die decimo nono iudicari, vt citiùs quàm vigeſimo iudicentur. Scio quid reſpondebit. nempè decimam nonam non eſſe iudicatoriam, quoniam in ea neminem iudicatum vidit Hippocrates, rarò etiam vigeſimi diei iudicium ad ſe rapere; nam cum morbus ad eum terminum accedit, iam lentè mouetur: ſi enim velociùs moueretur decimo ſeptimo iudicatus eſſet. Sed eſto contingat ita. non nè ſupponimus morbum, qui diebus imparibus exacerbatur citiùs iudicari, iudicetur ergo (quoniam non vult Galenus vigeſimo, nec decimo nono) ſaltem decimo ſeptimo: nam cur morbus, qui velox eſt, & velocem poſtulat iudicationis diem, ad vigeſimam primam, quæ tam acutorum ſimpliciter numerum præter greditur, tranſmittemus. Profectò ex hac Galeni poſitione diceremus citiùs terminari morbos acutos ex delapſu, quàm ſimpliciter acutos; ſiquidem ſimpliciter acuti vigeſimo terminatur, acuti ex delapſu iam indè numerantur. Non eſt ergo recipienda hæc Galeni doctrina, ſicut nec recipi ſolet in ſua menſium diuiſione, cum me-
dici-

dicinalem quendam menſem chymericum confingit, de quo alibi diſputandi occaſio dabitur.

Exercitatio de partu laborioſo.

PArtum ne vitioſum, an difficilem, ſeu laborioſum dicatis nihil refert; neque enim Mercurialem, & Rodericum de Caſtro recipio, qui vnum ab altero ſeiungunt: quod ſi dicatis omnem partum vitioſum eſſe difficilem, non tamen è contra, difficilem eſſe vitioſum, quippè vitioſum dicimus, quando fœtus non exit in ſua figura, laborioſum verò, quando tametſi in ſua figura exeat, cum labore tamen eſt, ego reſpondebo non ſolum vitioſum partum appellari ob vitium figuræ infantis, ſed etiam ob vitia reliquarum rerum concurrentium ad partum, & ſic deueniemus ad quæſtionem de nomine. Cæterum cum partum dicimus maturum, ideſt ſuo tempore factum, inſinuamus, aliter abortum diceremus. Cum difficilem laborioſumve addimus, naturali difficultati, laborivè aliquid apponimus. Naturalem difficultatem appello eam, quæ ex natura rei omnibus parturientibus eſt communis. Occulta iudicia tua Domine, qui homini Mundi iſtius incolæ ingreſſum in domum hanc ſuam magnam adeo anguſtum paraſti, vt quoties fœtus in lucem exit mira-

Pſ.138. culi inſtar ſit & matrem ſuperſtitem remanere, & prolem iccirco Dauid Deo acceptam refert, quòd ex vtero matris ſe incolumen eduxerit : quippè ait ſuſcepiſti me de vtero matris meæ. Cæterùm quæret aliquis, ſi naturalis eſt mulieribus hic labor , quomodo eum prima parens ſupplicij loco habuit? fòret quidem mulier in ſtatu innocentiæ à partus labore, & dolore ſuper naturali quadam ratione immunis . Ita videtur ſentire Diuus

14.De ciu. Dei c.26. Auguſtinus, quippè cum fætus in vtero iam ad partum fuiſſet maturus tunc ait, vt materna viſcera ſponte in tantum laxarentur,vt cōmodum fætui tranſitum præberent : ſic ad pariendum non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fæminea viſcera relaxaret . Sed hæc theologis relinquamus , nobis ſatis eſt ex naturali fæminei ſexus conſtitutione neceſſarium eſſe, vt parturiat cum dolore.

Non eſt tamen vna duntaxat laborioſi partus cauſa,ſed prçcipuè triplex,vt notat author definitionum medicarum,inquiens, ægri partus tribus modis fiunt, pro gerente in vtero, pro eo quod geritur,pro exterioribus; ſingula perſtringere erit operæpretium, ac in primis ea quæ ſe tenent ex parte parentis : nempè ſi animo non ſit valdè compoſita, ſed paſſionibus obnoxia, propter quas non tota incumbit actioni parturiendi. Aut ſi ſit valdè debilis, tùm natura, tùm morbo v.g. ſi ab aliqua ægritudi-

tudi-

tudine adhuc conualeſcat, ſi delicata & timida ſit, adeo vt labores partus ſuſtinere nequeat, & à doloribus vincatur, ſi ſit annoſa videlicet, quadrageſimum attingens annum. nam hæc membra habet dura & difficulter cedentia, vel quæ tunc primum partus dolores eſt experta, hæc enim etiam non aſſuetas habet vias, vel ſit admodum obeſa, quippè omenti, & vicinarum partium obeſitas (vt optimè notauit Mercatus) quemadmodum conceptum impedit os vteri comprimendo, ità ſi forte accidat, vt mulier iſta concipiat impediet fœtui exitum. Si etiam ſit extenuata, quippè hæc muſculoſa eſt, & ligamenta habet admodum dura. Sic etiam ſi vuluam habeat anguſtam, anguſtumve vuluæ collum, aut admodum oblongum, aut ſi hæmorrhoidas habeat inflatas ſi valdè ſicca ſit: quippè partum ſiccum obſtetrices damnare ſolent, deeſt enim humiditas quæ vias oblinat. Si tandem mulier ſit anheloſa, & diſpneæ obnoxia cum namque partus retento parturietis ſpiritu expellatur, ſi mulier ſit difficulter reſpirans, ſpiritum cohibens ſuffocabitur.

Sed ante quam ad alias cauſas, quæ ſe tenẽt ex parte fœtus, & externarum rerum accedam libet prius declarare, quomodo ſe gerat mulier in emittendo partu. Sunt enim, qui putant parturientium oſſa pubis dearticulari, vt fœtui exitum præbeant, poſt partum verò rur-

ſum coniungi, authoremque videntur habere Hippocratem libro de natura pueri, vbi ait, in ipſo partu vniuerſum dolet corpus, maximè verò lumbi, & coxendices: nam diſtrahuntur & diuelluntur ipſarum coxendices. Ab Hippocrate accepiſſe videtur Auicenna cuius hæc ſunt verba, quando ſeparatur fætus aperitur vterus apertione tali, cuius ſimilem efficere nõ valet in alia hora, & neceſſarium eſt, vt ſeparentur quædam vulnere, & ſuſtententur adiutorio Dei excelſi præparante, vel diſponente, ad illud deinde reuertente eas ad conſtitutionem naturalem, & eſt operatio illa validiſſima ex naturæ operibus. Multa alia in hanc rem ex Seuerino Pineo adducit Laurentius.

Laur. lib. 8. ſuæ anato. q. 33.

Cæterum licet in partu partes omnes vtero circumuicinæ vim maximam patiantur & vnaquæque, vt exitum fætui præbeat, quoad fieri poteſt conuellatur, vnde ilium & oſſa pubis aliquantulum dehiſcunt, quod Hippocrati libenter admittendum eſt, non tamen propterea cum Auicenna ſentiendum, pubis oſſa de articulationem ſeparationemvè pati, in ſuam deindè articulationẽ ſymphyſimq; poſt partum reuerti, quippè non fieret hæc ſeparatio abſq; membranæ qua per ſychondroſin coniuncta ſunt ruptione, nec ruptio ſi fieret poſſet poſtea per ſe ipſam ſanari. Quinimo ſi mulieres, quæ pepererunt conſulatis magis de oſſis ſacri quam de pubis oſſium doloribus

bus conquerunt? Quapropter os ſacrum ſecundum extremam partem coccygem vocat aliqui, alij caudam valdè diſtendi, vt amplius relinquatur ſpatium exiſtimo, atq; hanc partem pluſquam aliàs lacerari abſq; tamen ruptione, nam ruptio non poſſet abſque medica manu ſanari.

Ex parte fœtus difficultas pariendi oritur ſi ingens ſit infantis corpus, aut ſaltem caput habeat magnum extra proportionem aliorũ membrorum, ſic enim ægre poteſt per vteri collum tranſmitti, fœtus etiam debilis non ſe ipſum ad exitum adiuuans. Vnde eleganter Galenus inquit. Ad bonum partum duorum corporum vigore opus eſſe; & grauidæ mulieris & infantis. Multa inſuper poſſunt fœtui accidere, vt difficulter educatur. Admiranda res contigit Aloyſio meo nepoti ex filio, dum in luminis auras exiret, venam vmbilicalem collo circumuolutam habebat, & cum egredi tentabat, laqueus aſtringebat, eumque ſuffocabat, quare & ab exeundi impetu ſe retrahebat, & obſtetrix etiam eum introrſum, ne ſuffocaretur, impellebat. Hoc pluries eſt actum, ſic parturitio per plures horas non ſine matris, & infantis periculo durauit, donec tandem diuino Numine annuente, ſe ſe impulit, adeo vt potuerit obſtetrix manu laqueum aliquantulum relaxare: natus eſt omnino liuidus, & penè ſuffocatus, ſed qui

G. 5. ap. 55.

Hiſtoria admiranda.

poſtea

poſtea halitum recepit & in meliorem colorem fuit reductus, viuitq; hodie annum agens fere octauum, decora nimis & elegante facie præditus.

Duo tamen hoc loco vobis aduertenda duxi. vnum quæ ſit figura infantis in vtero contenti, alterum quid eum impellat ad procurandum exitum. Fætum in vtero multipliciter figurari tradunt docti Viri, & expertæ obſtetrices. Attamen magis omnium naturalis figura eſt, cum infans ita conglobatur, vt genua retracta habeat, caput vero genubus propinquum, quod in libro de natura pueri Hippocrates deſcribit; nempe vt manus habeat ad genas, caput pedibus propinquum, ita tamen vt iudicari nequeat, an caput ſupra ſit, an verò infra, etiam ſi intra vterum inſpiciatur fætus. Hinc accepiſſe videtur Ariſtoteles, qui hominem, ait, in ſe ipſo conglobatum, geſtari, ita vt naſum intra genu, oculos ſupra genua aures extra genua habeat.

A. 7. hiſt. animal. c. 8.

Eſt autem in vtero triplice veſte indutus, ſecundinas appellant medici vel ſecundas, quia ſecundæ poſt fætum eijciuntur. Sunt autem duæ in humano fætu chorion, & amnios in brutis tertia allantoides chorion innumeris venis & arterijs inter texta. Amnios ſiue agnina ob mollitiem ſic dicta fætum immediate ambit, continetque ſudorem & vrinam in quibus infans quodammodo innatat & tã-

quam

quam in balneo ſedens, magna fruitur commoditate, hæc ſi ante partum rumpatur & humiditas contenta euacuetur, tempore partus, ſiccitas adeſt, quæ difficultatem infert ſin rumpatur (vt par eſt) dum infans exitum quærit, humiditate vias lubricat. Cæterum hæ duæ membranæ valdè inter ſe coniunguntur, vnde reſiſtunt cuilibet violentiæ, licet enim fæmina ſaltet, aut quomodocumque moueatur integræ permanent, magnum autem naturæ arcanum eſt, quod calcitratione pueri facilè rumpuntur, vt videatur naturæ prouidentia ad omnia circunſpiciens nihil eorum omiſiſſe, quæ conferunt ad partum, de tertia tunica allantoide non eſt cur dicamus, ſiquidem in ſolis brutis reperitur.

Aliud quod remanet explicandum eſt, quo naturæ conſilio fætus ſibi egreſſum ſolicitat. Galenus id refert, tũ admolis magnitudinem, tum ad effuſi humoris mordacitatem: vbi enim infantis moles ad eam magnitudinem perueneri, vt vterus adeo diſtendatur, vt diſtendi amplius nequeat, aut etiam, cum vterus qualitate humoris in ſe effuſi mordetur, ſi id non naturæ ſponte, ſed violenter fiat abortus eſt, ſi ex naturæ commodo partus nominatur. In hac ſententia duo mihi diſplicent, primum quod abortum referat ad magnitudinem molis: nam cum abortiue, ſit ante tempus deſtinatum parere, non poterit adhuc eo G.3.nat.facult.c.12.

tem-

tempore moles corporis adeo vteri capacitatem diſtendere, vt amplius non poſſit, teſtum continere alterum quod mordacitati humoris in vterum effuſi tribuat partum; profectò humor effundi in vterum nequit, niſi ruptis membranis fœtum inuoluentibus, at tunc iam ad partum infans cæperat prius excitari. Itaque ſolum relinquitur partum fieri ob magnitudinem fœtus quàm in vltimo menſe tantam adeptus eſt, quantam iam non poteſt vterus ſuſtinere.

Sed hic etiam dubitabitis, nam ſi ad magnitudinem fœtus referenda eſt partus facilitas, paruo corpore præditus infans difficiliùs egredietur, quod videtur eſſe contra experientiam. Aliqui ſunt, qui paruum infantem non poſſe ſatis ab obſtetricis manibus comprehendi, ac proinde difficulter exire. Ego tamen aliter reſpondeo. Nempè ſi ſola cauſa excitans partum foret magnitudo molis rectè inferretur, ergo vbi deeſt iſta moles difficilis eſt partus. Cæterum, cum duæ concurrant cauſæ, vna eſt moles corporis magna, altera alimenti defectus, non ſufficit, vna duntaxat: Hippocrates in libro de natura pueri vtraſque comprehendens alimentum, & augmentum, ait, quod à matre deſcendit non ampliùs ſufficiens eſt puero vbi decem menſes præterierunt, & fœtus auctus fuerit. Et cætera quæ ſequuntur, duo igitur ſunt, propter

pter quæ fætus exitum quærit,nempè anguſtia loci, quia iam corpus adeo increuit,vt vterus diſtendi ampliùs nequeat, & alimenti defe-ctus, quoniam infans iam auctus plure quam antea indiget alimento. Alimentum intelligit, tam membrorum, quàm ſpirituum. Sic infans & vt alimentum quærat & ſimul etiam aërem attrahat ſufficientem; quippè iam factus maiore vtitur reſpiratione calcitrat impatiens,& membranas quibus inuoluitur rumpit. Ad membranarum ruptionem ſuſpenſus remanet per vmbilicaret venam, & quoniam ex vmbilico ad caput maius eſt pondus quàm ex vmbilico ad pedes,caput deorſum vertitur, ac proinde in partu non à pedibus ſed à capite egreſſio fit.

Cauſæ externæ partũ impedientes ſunt vel exſiccates vt venti aquilonares, quippè ſiccitas & vias reddit duriores, & meatus magis anguſtios, vnde in regione aquilonare difficile parturiunt fæminæ.conſtitutio nimis calida propter virium reſolutionem pariendi difficultatem affert. Atque hæ ſunt difficilis & laborioſi partus cauſæ ad quas quàm plurimæ aliæ ab authoribus, & præcipuè ab Auicenna allatæ facile reduci poſſunt.

Exer-

Exercitatio An computatio in puer peris febre laborantibus debeat fieri à die partus, an à Die febris.

VVlgaris admodum quæſtio eſt,& à multis pertractata vtrum quando mulier inter puerperij tempus morbo corripitur, ſint dies decretorij computandi à die inuaſionis morbi an à die partus. Poſtulat autem præſens occaſio vt de ea aliquid dicamus. Offerunt ſe in primis duo fulmina artis noſtræ Hippocrates & Galenus qui ſtatuiſſe videntur, à partu debere fieri calculationem: quippè Hippocrates ſic ait, *Parimodo iudicationes fiunt à partu*. Galenus ibidem ſic. *Principium numerationis tibi fiat non quo die cæperint febricitare, ſed quo peperint*, & conſequenter ſubdit: *quibuſdam igitur circa ſecundum, aut tertium incipiunt diem à partu ex quo multi numerant futuram iudicationem, ſed res non ita ſe habet, ſed ex quo pepererint numeratio fieri oportet dierum*.

H 3.prog. tex.10.

Quamuis autem ita ab illis ſit lex ſancita, nihilominus, in enarrandis hiſtorijs Hippocrates interdum aliter ſe gerit: quippè vti in Philini vxore explicauimus, ſupputationem à febre facit, reperietis autem eum ibi manifeſtè eſſe loquutum; ſiquidem febris corripuit decima quarta à partu die, deinde in progreſſu hiſtoriæ ait author ſexta die ad noctẽ multum

tum dilirauit, deinde proſequitur quid ſeptima, quid octaua acciderit. Non igitur eſt dubium cum decima quarta dies poſt partum fuerit inuaſio febris, ſextam poſtea eſſe à decima quarta. Reſpondent aliqui, inter quos eſt Stephanus Athenienſis, Hippocratem quando in prognoſticis numerationem fieri iubet à die partus, ità eſſe intelligendum, vt ſolum hoc fiat ſi febris ſecunda, aut tertia die poſt partum ſuperuenerit, non autem ſi acciderit ſexta, aut ſeptima, aut aliqua ex ſequentibus. Huius tamen reſponſionis vanitas ex Epicratis hiſtoria comprehenditur: quippè Epicratis vxor ſecundo à partu die febre fuit correpta, & tamen à febre, non à partu, numeratio in ea fit, namque Hippocrates ſe ipſum declarat, inquiens, ſexta die à qua febris ipſam corripuit. Similiter Dromeadis vxor, quæ filiam pepererat, poſtridie rigore, & febre acuta fuit apprehenſa, quinto die non à partu, ſed à febri obijt: quippè, ait author eam die, quo rigore & febre correpta eſt, ex præcordijs laborare cæpiſſe, poſtridie eius diei quo riguerat, aluum commodè reddidiſſe, tertio riguiſſe, quarta dolore præcordiorum correptam faſtidioſamque ſubito obijſſe.

Auicenna magis ad narrationem hiſtoriarum, quàm ad id, quod Hippocrates in prognoſticis præcipit, reſpiciens, in omni euentu nulla adhibita diſtinctione à febre exordiendam

dam

Auic.2.4. ſɛ.2.c.1. dam eſſe computationem exiſtimat. Eius hæc ſunt verba. *Et ſi pepererit mulier, deinde accidat ei febris, tunc fiat computatio ex febre, non ex partu, ex illo enim eſt error. Adiungit poſtea, & plurima quod accidit eſt febris poſt ſecundum aut tertium diem à partu.*

Soluunt communiter neoterici hanc difficultatem diuidentes partum, in partum naturalem, & non naturalem. Vocant non naturalem illum, qui cum difficultate fit, & cum grauibus ſymptomatibus, & purgatione deminuta. naturalem vocant, in quo leuia ſymptomata accidunt, & purgatio intra terminũ à natura præſcriptum ritè, & rectè procedit. Profectò ſi quæſtio de nomine habenda eſſe, iſta partus non naturalis acceptio neutiquam foret recipienda: neque enim partus naturalis, & non naturalis differunt pênes ſymptomatum grauitatem, & purgationum quantitatem, ſed tempus pariendi, & modum figuramq; exeuntis fœtus. Itaq; ſi præcocius fiat quàm conueniat, aut exeat in figura præpoſtera, nempè ſi pedes, aut brachia prius emittat, aut oblique ſeſe conſtituat non naturalis eſt partus, ſi verò abſoluto geſtationis tempore, hoc eſt tranſacto octauo menſe, & figura conſueta, atque commoda eueniat naturalis cenſetur Penes ſymptomata autem partus difficilis, aut facilis appellatur, debita verò lochiorum quantitas ſi in partu non accidat cauſa dif-

difficilis partus eſſe poteſt : quandoquidem (vt diximus) ſiccitas difficultatem ingerit pariendi, ſi poſt partum iam ab hoc ſymptomate non denominatur difficilis partus, aut non naturalis, ſed eſt cauſa per ſe aliorum ſymptomatum.

Porrò prædicti authores cõſiderant, febrem in partu laborioſo intra dies puerperij, & ſic à partu computare incipiunt. Rurſus conſiderant febrem in partu, qui feliciter ſucceſſit, & tunc à febre computationem ordiuntur. Probant iſtam ſententiam: quia partus laborioſus, quem non naturalem appellari diximus, eſt præter naturam, qui cum ſatis multas operationes lædat, non eſt cur non dicatur morbus, partim in intemperamento, & affluente ſucco, partim in praua compoſitione conſiſtens. Quæ igitur febris intra purgationis tempus, in quo non rectè mulier purgatur, euenerit, ab ipſo partu procedere cenſetur, & rationem ſymptomatis habet. Quemadmodum enim febris, quæ pendet ex inflammatione, aut graui vlcere, aut aliquo alio morbo, ab ipſius morbi die computari debet, non à febre, ſic dicendum eſt ſi ad partum non naturalem ſuperueniat febris. Huius rationis author mihi videtur fuiſſe Petrus Aponenſis in ſuo Conciliatore. Conc. diff. 100.

Redarguitur tamen ex hiſtoria mulieris, quæ apud frigidam aquam in Thaſo habita- 3. Epid. ſec. 3.

bat. Hæc poſtquam filium peperit, neq; fuit purgata, tertio à partu die, febre acuta correpta eſt, cum horrore vehemente, & tamen (vt colligere licet ex hiſtoriæ contextu) Hippocrates à die febris computationem eſt exorſus, quàmquàm partus fuerat non naturalis: quippè mulier non fuit purgata. Amatus Luſitanus hiſtoriam huius mulieris, quæ apud frigidam aquam habitabat, & aliam vxoris Dromeadis, & alias huius cenſus, exiſtimat ſcriptas eſſe ab Hippocrate tamquàm obſeruatore, ſeu hiſtorico, non verò vt præceptore: etenim in epidemijs hiſtorias tantum referebat, & experimenta captabat, vt ſententias poſtea in aphoriſmis, & prognoſticis reponeret.

Cent. 1. cur 34. ĩ ſchol. Vall. lib. 10 cõtrou. c. 4

Abſit tamen, vt dicamus virum medicum, etiam in hiſtorijs narrandis parum medicè ſe geſſiſſe. Profectò magnus vir, ſiue hiſtorias narret, ſiue artis præcepta ſemper vt artis eſt loquitur. Demus igitur quod in epidemijs hiſtoricum agat (neque hòc penitus concedendum eſt, ſiquidem ex eo libro multa addiſcimus non tamquam ex hiſtorico, ſed tamquam ex medico) hiſtoricus ne à ſermonis proprietate abhorrere debet? minimè, quanto igitur magis artifex in arte ſua, qui ex lege loqui tenetur.

Porrò eius ſum opinionis, vt exiſtimem Hippocratem in prognoſticis voluiſſe vt ex

partu

partu computario fiat, præceptum tradens quaſi in re dubia, hoc eſt in re, de qua dubitare aliquis poſſet. A febre autem computationem fieri non dixit: quia hoc erat manifeſtum, non tamen negauit. Itaque exiſtimo in omni puerpera febriente, ſi febris accidat intra præſcriptos purgationis dies, ſemper vno oculo attendendum eſſe ad horam in qua mulier cæpit febrire, de quo non loquutus eſt Hippocrates in prognoſticis, quoniam videbat neminem fore qui hoc negaret. Altero oculo ad diem partus, hoc eſt non ex quo partus in lucem fuit editus, ſed ex quo graues parturienti dolores, & manifeſta ſigna acciderunt. Tunc autem conſiderandum an fortaſſe dies à partu & dies à febre ita inter ſe coeant, vt in vna & eadem die decretorius à partu & decretorius à febre coincidant, in quo caſu maiore cum ratione criſis expectanda eſt ſiue bona, ſiue mala, prout præcedentia ſigna pollicebantur: quippè ea dies duplicem habebit iudicandi vim, vnam à partu acceptam, alteram à febre. Si verò dies ſit decretoria computando à febre, non verò à partu, aut è contrario ſi decretoria ſit computando à partu, non autem à febre, conſiderare oportet, an partus fuerit facilis, an difficilis, vtrum purgationes rectè ſucceſſerint, an fuerint deminutæ. Iuxta hanc conſiderationem ratio elicienda eſt, vt ſciamus cui nam diei maior ſit ha-

benda fides, num computationi, quæ fit à partu, an alteri quæ à febre fit.

Quod ſi aliquando accidat, vt dies in quo febris corripit ſit decretorius (vt accidit Philini vxori, quę decimo quarto à partu die febricitare incæpit) nulla tunc temporis eſt difficultas, ſimul enim dies partus & dies febris vnica numeratione computantur. Atque hæc mihi videtur vera doctrina, & Hippocratis menti conſona: ſiquis enim eius hiſtorias peruolutauerit, reperiet eum modo à febre cępiſſe numerare, prout ſe ſe illi offerebat occaſio loquẽdi, tamquã in re in qua nihil intererat ſi ſic vt ſic loqueretur. Cõſtat ergo diuinum Senem in prognoſticis numerationem à partu exordiendam eſſe, rectè dixiſſe, rectè etiam ab eodem numerationem à febre fuiſſe factam. A partu quidem tamquàm peculiari numerandi ratione, quæ parturientibus debetur, à febre autem ratione communi, in qua omnes febricitantibus conueniunt.

Exercitatio de tempore lochijs expurgandis deſtinato.

DEſcrimen eſt inter καταμήνια ideſt menſtrua & λοχεία ideſt puerperia ſeu purgationes, quæ fiunt à partu, quod illa ſingulis contingunt menſibus, & ſi retineantur morbos quidem gignunt, vt plurimum longos, hæc

autem

autem ſi diminutè exierint morborum acutorum, & lethalium ſunt cauſa. Huius rei non aliundè ratio eſt petenda quàm ex alimonia fœtus, quæ ex potiore ſanguinis parte fit: nam (vt Galenus ait) meliorem ſanguinem ad ſe fœtus nutrimenti cauſa alliciens, relinqueſq; deteriorem, cauſa eſt, vt prægnantes prauis humoribus repleantur. Igitur poſt partum euacuationem celebrem molitur natura, cui magna vis infertur ſi talis purgatio retineatur.

G.3.epid. ſect.3.t.32. ægr.2.

Tempus euacuationi à partu deſtinatum Hippocrates, ſi ſana ſit mulier & maſculum peperit, triginta dierum eſſe ait, ſi fœminam duorum & quadraginta. Nihilominus admittit ex partu fœminæ vigeſimo quinto die, & partu maſculi vigeſimo extra periculum eſſe. Idem in libello de natura pueri ex hoc præſcripto purgationis ſpatio argumentum accipit ad probandum præſcriptum dearticulationis tempus: ſiquidem ait. Hæc propterea produxi (videlicet periculum ex ſuppreſſa lochiorum purgatione) vt oſtenderem quod in pueris membrorum diſcretio longiſſima contingit, in fœmella in quadraginta duobus diebus, in maſculo in triginta. Argúmẽto eſt purgatio à partu, quæ in fęmella fit in quadraginta duobus diebus, in maſculo in triginta, aut tardiſſimè contingat.

1.Morb. mul.

Sed dicetis Hippocratem ſic voluiſſe talio-

nem rependi, neceſſitatem verò huius talionis non nobis demonſtraſſe. Verum quidem eſt, quod ipſe ait, primis diebus vbi genitura in vteros illapſa eſt, pauciſſimum ſanguinem à muliere in vteros venire, deinde copioſiorem; ſi enim aceruatim, & multus ſemel veniret genitura ſpirationẽ habere non poſſet, ſed ſanguine multo accedente ſuffocaretur. Verum etiam eſſe viceuerſa fieri in purgationibus; nã ſicut in de articulationibus priùs paucus concurrit ſanguis, poſtea copioſior, ſic è cõtrario in purgationibus, priùs copioſior effluit, poſtea verò parcior. Cæterum non video quomodo vnus euentus alterius neceſſitatem afferre poteſt.

Exiſtimo tamen Hippocratem aliundè articulationem fæminæ longiore tempore fieri maſculi breuiore didiciſſe. Vt autem aliquam præfixi termini dierũ probabilitatem inueniret, ad conuenientiam confugiſſe, qua inter affluxum ſanguinis ad vterum, & effluxum eiuſdem ab eodem eſſe debet. Cum verò effluxus ab vtero ſit manifeſtior, quàm affluxus in vterum ab eo, quod magis manifeſtum eſt argumentum (coniecturam potiùs) accipere voluit.

Sed difficultatem nobis ingerit Galen. qui
Cap. 1. de formatione fætus ſic ait. *Non enim fætibus, neq; expreſſæ formationis, neq; motionis, neq; abſolutionis, neq; egreſſus in lucem præfinitus terminus eſt.* Quod ab Ariſtotele potuit accipere:

cum

cum enim conceptio, conformatio, perfecta articulatio partus, ſecundum portionem ſuam ſucceſſiuè fiant, multiplex pariendi tempus multiplex etiam conformationis, & articulationis tempus nobis oſtendit. Eſſe autem homini datum multiplex iſtud pariendi tempus conſtat, quem ſequitur Albertus Magnus. Porrò cum incertus ſit numerus dierũ quibus formatur fætus, vel dicendum eſt incertum quoque eſſe lochiorum purgandorum ſpatium, vel non admittenda Hippocratis argumentatio ſumpta ex ſimilitudine, aut proportione inter tempus, conformationis, & tempus expurgationis. Ar.7.hiſt. animal.ca. 4. Alb. M. lib. 18. de animal. tr. 2. c.2.

Cæterum nulla nos ratio cogit recedere ab Hippocratis ratione, qui ſummum puerperij tẽpus voluit inſinuare, ita tamen, vt terminus non ſit omnino præfixus, ſed cum aliqua latitudine. Igitur in tempore poſt partum conſiderare libet triplicem ſtatum, vnũ neceſſariæ purgationis, & iſte ad ſummum primis ſeptem diebus, in ijs, quæ maſculum pepererunt, vbi autem fæminã peperit, quatuordicim diebus, quod Sacra pagina nos docet, nam mulierem quæ maſculum peperit immundam eſſe ait ſeptem diebus iuxta dies ſeparationis mẽſtruæ, ſin autem pepererit fæminam immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluentis menſtrui. Hic ne prefixus eſt terminus, vt aliter fieri nequeat? profectò non poterat omnibus Leuit.c.12.

vnus terminus infallibilis aſſignari : quippè aliæ alijs magis ſanguineæ ſunt, copioſiùs nutritę, vernò tempore, ac vt ſemel dicam multæ concurrere poſſunt circunſtantiæ, quæ purgationem augent, aut minuunt. Cum autem lex vna Vniuerſis promulgãda foret, acceptus eſt ille numerus dierum, qui frequentior eſt & rationi magis accomodatus. Meritò ergo Rodericus de Caſtro à Mercuriali & Cordæo diſcedens Hippocratis ſententiam vniuerſalem nõ eſſe ait; nam Belgæ, & Germanæ, & quæcumque in illis viuunt regionibus, vbi fæminæ validiùs exercẽtur breuiore quidem tempore, & maiore quantitate ſalubriùs expurgantur, ſæpè ad octiduum duntaxat, vt plurimum ad quindecim dies, quem apello purgationis vnius ſeptimanæ in partu maſculi, duarum in partu fæminæ; cur fæmina plures poſtulet dies mox dicetur.

Secundus terminus eſt periculi, quem Hippocrates ait in partu maſculi eſſe viginti dierum, in fæmina autem dierum vigintiquinque intra hũc terminum puerpera in periculo verſatur, vt ſi aliquos committat errores, non id fiat ſine magna noxa, ac proindè intra hoc tempus ſibi mulier ſummopere debet cauere, quippè adhuc vterus ex labore partus, prauã habet diſpoſitionem. Si autem quæratis cur in hoc termino exiguam conſtituit diſtantiam à partu fæminæ ad partum maſculi. Reſpondebo

bo periculum iam eſſe expurgationũ menſu-
ra:quippè die vigeſimo,& vigeſimo primo ſa-
tis expurgatam mulierem eſſe conſtat; ſed ex
præcedente labore, qui licet aliquantulum
maior fuit in excluſione fæminæ, quàm maris
(quippè mas fortiùs ſe ipſum adiuuat) nihilo-
minus paucorum dierum Differentiam iſthic
labor afferre poteſt. Itaque intra hunc ſecun-
dum terminum,non adhuc licet ſanguinẽ mit-
tere ex brachio,niſi in maxime vrgente neceſ-
ſitate, hoc eſt in pleuritide, aut peripneumo-
nia, aut ſimili aliquo morbo acuto, in quo ta-
men præmittenda eſt venæ ſectio ex talo, & ſi
neceſſitas augeatur,ſitq; omnino neceſſarium,
ad axillarem brachij accedere, non contem-
nendus eſt ſtatus puerperij, ſed dum ſanguinis
miſſio fit ligaturis, aut cucurbitulis cruribus
applicitis curandum eſt, vt fiat retractio, me-
dicamentum autem purgans in hoc ſtatu val-
dè periculoſum eſſe ſolet:quippè adhuc agita-
tionis metus viget.

Tertius terminus,quem diuturniſſimæ pur-
gationis appellat Hippocrates, eſt in ijs, quæ
filium pepererunt dierum triginta, in ijs, quæ
fæminam dierum quadraginta duorum. Sacra
pagina ſecuriorem terminum nacta maſculo
triginta tres dies aſſignauit, fæminæ duplum,
hoc eſt ſexaginta ſex. In hoc vltimo termino,
quamuis iam lochia non ſint velut à victima
mactata,qualia in principio eſſe dixit Hippo-
crates;

crates; nihilominus adhuc vterus ſe ſe ex purgat, & circa omnimodam munditiem natura ſatagit. Vltra hunc vltimum terminum mulier iam extra domum exire, & ſolita munera obire poteſt, quod ſi acuto morbo corripiatur, nulla præcedentis partus ratio habetur. Imò in hoc termino medicatio, ſi neceſſitas poſtulet, conceditur, ſin minus his diebus peractis poterit, & purgante medicamento vti, atque etiam balneis & omni prorsùs curationi incumbere.

Sed adhuc remanet explicandum cur Hippocrates inter tempus formationis, & tempus purgationis proportionem dare voluit? Ad quod quæſitum, altiùs repetito exordio, reſpondendum eſt, & in memoriam reuocandũ id quod Hippocrates in libello de carnibus, ſeù de principijs ſcriptum reliquit, vitam ſcilicet hominis ſeptem dierum eſſe, vbi multos euentus narrat, qui ſeptimo dierum hebdomarumve numero apparent, plures alios addunt aliqui, adeo vt ſint, qui dicant, Deum optimum maximum hunc numerum in delitijs habere. Cęterum numerus iſte aliquando viçinis ſuis virtutem ſolet præſtare, vnde non ſolum in ſeptimo, ſed etiam circa ſeptimum res magnæ euenire dicantur. Iam ergo his intelligetis, formationis, quæ actio præſtantiſſima eſt, tempus debere per ſeptennarium numerum inquiri, & eodem modo per ſeptẽnarium

etiam

etiam purgationem, criticis euacuationibus in morbo factis, reſpondere debere.

Habetis ergo tàm formationem fętus quàm lochiorũ expurgationem per ſeptimanas fieri. Pergite ergo conſiderando fæmineum fætum tardiùs efformari, quoniã à minore calore fit, ſi à minore calore fæminæ conformatio eſt, ſanè ex hac conformatione plura relinquentur excrementa, ſi relinquentur plura excrementa ex fęmina, quàm ex maſculo, plures expoſtulat dies expurgatio lochiorum ex fęmina quàm ex maſculo. Tunc concludite in hunc modum ad formationẽ fætus fæminei tempus menſuratur per ſeptimanas, eſt diuturnius, quàm tempus maſculi, ſimiliter etiam ad expurgationem lochiorum ex partu fæminei fætus per ſeptimanas inquiritur tempus, eſtque diuturnius, quàm expurgatio partus maſculini; igitur vtrobiq; eſt eadem ratio ac propterea Hippocrates (vt ſupradiximus) ex manifeſto purgationis tempore, argumentum ſumpſit, ad id quod eſt occultum nempè tempus formationis.

Sed adhuc poterit aliquis dicere hoc in genere quidẽ verùm eſſe, nempè tàm formationis, quàm purgationis tempus mulieri, quæ fęminam peperit longius eſſe, & per ſeptimanas numerari. Hinc tamen nõ colligi eundem dierum formationi, & expurgationi deberi. Cui reſpondere oportet, eligẽdos eſſe tàm forma-

tioni

tioni quàm purgationi dies magis celebres,ac proindè cum vtrobique debeant eſſe circa numerum ſeptenarium, vtrobiq; fæmineo fætui plures quàm maſculo, non eſt cur dubitemus rectè factam eſſe comparationem inter dies formationis & dies purgationis.

Accipitur ergo primus terminus ex primo ſeptenario, ſi maſculus eſt fætus,ſin fæmina ex ſecũdo; ſunt autem dies celeberrimi ſeptimus & decimus quartus.Accipitur ſecundus ſi maſculus eſt fætus ex die vigeſimo celeberrimo quidẽ & qui,vt inferiùs dicemus ex tribus conſtat ſeptimanis;ſi fætus eſt fæmineus tranſcurrit ad vigeſimum quintum, qui numerando ex vigeſimo incluſiuè ſextus eſt,ac proindè affinis ſeptimo, efficietq; quatuor ferè ſeptimanas. Accipitur tertius terminus anticipatè quidem in fętu maſculo,nempè die trigeſimo,qui inter iudicatorios numerandus eſt,ex Galeni ſentẽ-
4. aph 36. tia. Si enim includamus numeros ex quibus ſeptimanæ computari incipiunt,perfectæ ſeptimanæ accedit,ſi verò fætus ſit fæmineus accedit ad diem quadrageſimum ſecundum, quo nullus celebrior eſt: quippè in eo computatio. Quæ per ſeptimanas fit terminatur.Itaq; quoniam vigeſimus primus eaſdem habet vires, quadrageſimus ſecundus eaſdem etiam habere debet, de quadrageſimo autem, quid dicã, niſi cum Galeno in hac die morborum acutorum criticos terminari,& principium longorũ

eſſe?

eſſe? atq; ideo, vt Galenus ait, poſt quadrageſimum omnes languent coctione potius, & abſceſſibus, quàm per excretiones morbos finientes; & Hippocrates (teſte eodem Galeno) hos dies, qui poſt quadrageſimum ſunt, omnes cōtemnere videtur. Denique poſt quadrageſimum iudicia ſolui dixit, idem Galenus eodem libro. G.1. diebus decret.c.20. C.12.

Exercitatio de curatione coacta.

SOlent barbari curationem diuidere, quandam appellantes regularem, aliam vero coactam; regularem vocant eam, quæ iuxtà artis regulas fit, coactam verò quando imminenti periculo medicus totus incumbens non ad cauſam morbi, ſed aduiolentiā ſymptomatis, reſpicit. Poterit tamen aliquis hanc diuiſionem, diſtinctionemve parui facere. Nam in curatione illa, quam coactam vocant, occurritur ei quod magis vrget, at hoc non eſt extra artis regulas operari: quippè ab vrgentibus indicationem ſummi conſentaneum eſt, & à Galeno nobis traditum. Nam affectus vnde primum, maximèque imminet homini periculum, hic primus curari debet. Hanc doctrinam multis illuſtrat exemplis. Gal.3. met. c.9.& 1. ad Glauc.c.14. in medio.

Deinde cum ad diuerſa, & penè contraria in curatione diuellimur, vera methodus à Galeno tradita nos docet, vt eas indicationes eli- G.11 meth. c.3.

gamus, quas ſcopi digniores, maioreſq; præſcribunt. Si verò quæratis, vnde nam ſcopis dignitas, & magnitudo proueniat? reſpondet ille dignitatem eorum, vel vitæ, vel ſanitatis reſpectu eſſe iudicandam; magnitudinem verò duplicem eſſe, vel propriæ ſubſtantiæ ratione, vel declinationis à naturali habitu. Sic ille, quando igitur imminenti periculo, poſt poſitis alijs indicationibus, occurrimus, ſcopum habemus digniorem ratione vitæ, quando etiam viribus ſummoperè lapſis iuuamen afferre volumus ſcopum maiorem ante oculos habemus, maioritate ſcilicet, quæ ratione declinationis à naturali ſtatu conſideratur. In his omnibus coacta eſt curatio, & ſimul regularis. Coacta, quia cogimur dignitate & magnitudine ſcopi ad hanc curationem, relicto priore morbo, accedere, regularis verò, quoniam, qui in hoc caſu aliter operetur, contra prædictam regulam agere diceretur.

Cæterùm non hæc obſtant, quominus dicamus coactam curationem à regulari diuerſam eſſe, quod ſi in hac coacta regulas aliquas ſequimur, nihilominus regulæ iſtæ magis neceſſitatem, quàm rectam agendi normam reſpiciunt, ideoq; vt magis propriè loquamur, curationem illam quam barbari regularem vocant, nos legitimam appellabimus, aliam verò quę ab illis dicitur coacta, dicetur à nobis illegitima ſiue ſpuria, vt potè quæ parentem qui-

dem

dem habet nempè indicationem: neque enim tunc medicus citra indicationem, Empiricorũ more, operatur; Verùm indicatio nõ legitimo partu hanc curationẽ edidit, ſed quaſi furtim, & cum periculo e.g. conſiderata morbi idea in acceſſionibus nihil dare oportet, ſic ſanciente optimo legislatore; ſi verò in acceſſione vires langueant, & ſyncopas vel adſit, vel immineat, tunc indicatio à viribus furtim ingreſſa, aliam indicationem à morbo ſumptam fraudabit, & ſic æger intempeſtiuè nutrietur. Medicus quidem optima curatione id faciet, ſed intempeſtiua nutritio, illegitima quidem eſt. Itẽ ſiquis phrenitide oppreſſus vigilias patiatur immodicas, quæ conuulſionem minantur, & H.7.aph.18. deſipientiam augent, cogimur ægrum ſoporiferis exhibitis in lethargum deducere nũquid lethargus non eſt periculoſus valdè affectus? maxime, ſed qui aliquantulum minùs velociter ad mortem currit, & ſic aliquod remedijs peragendis dabitur tempus. prudẽter hoc Galenus cõſiderauit, qui de narcoticorum reme- G.12.meth. c.12. diorum vſu loquutus adiungit. *Interim verò, & cum æger ex tenui deſtillatione, vigilijs, & vehemente tuſſi vrgetur pauxillum eiuſmodi medicamenti offero, facilè noxam eius, ſiquis eſt vſus, ſpatio emendatum irritatus.* Sic ille de huiuſmodi autem ſtupefatientibus aliquãdo nobis peculiaris erit ſermo. Nunc ſatis eſt, ea non ſine noxa fieri, ſiue intus ſumantur ſiue exteriùs

appli-

applicentur. & hac curatione præceptum, quo caloris innati vel totius, vel partis conſulere tenemur, contemnimus. Hoc quidem meritò eſt factum ſic poſtulante mali vrgentia; nihilominus illegitima eſt curatio, ſi quidē caloris naturalis conſeruationi aliquid ſuffuramur, & planè cum periculo. Tandem menſtrua purgatio ex omnibus ſanguinis euacuationibus ſola ſecundū naturam eſt, poterit tamen quantitate præternaturām fieri, eſſet igitur ſi ſuperfluit non omnino ſiſtenda, ſed aliquid ex eo relinquēdum, cum tam aliquo magno impetu fluat, adeo vt ad animi deliquium deducat patientem, tunc celeriter eſt cohibēda, & cucurbitula quàm maxima ad mammas, hoc eſt, ſub mammis apponenda. Nūquid ex hac nimia retentione non timetur damnū? maxime, nempè hydropos ex ſententia Galeni, & alia multa damna de quibus exprofeſſo agit Galenus, cur ergo omnimodam retentionem molimur. cogimur certè ſic impellente neceſſitate, neque enim menſuram habemus remediorum: quippè ex Galeno remediorum quantitas maximè coniecturalem artem medicam facit. cum igitur illegitimè operantes mulierem in retētionem menſtruorum deducimus, ſaltem tunc eam à precipite virium lapſu, cōuulſionibus, & refrigeratione liberamus, tempus autem ad occurrendum malis ex retentione ortis nō deerit. Similiter hæmorrhoides,

G. 3 ſymp. cauſ. c. 2. in medic.

5. Aph. 50.

G. 5. loc. aff. c. 4.
4. De præſ. expulſ. c. 5.
. De nat. ·c. c. 8.
6 Loc. aff. c. 5.
De rat. curand. per ſang. miſſ. c. 12.

des, quæ licet ſint toto genere præternaturam, (quippè Galen. ſolas mẽſtruas purgationes ex omnibus ſanguinis euacuationib. excipit) nihilominus, teſte eodẽ, præternaturam adhuc non ſunt, ſi modo tempeſtiuè fiant; ſiunt autem tempeſtiuè, cum id quod contriſtat expellunt, cũq; melancholicũ expellant ſanguinem ab inſania & à multis alijs morbis liberãt, & vt plurimum vtiles ſunt niſi ſuperfluant. Si autẽ ſuper fluerint in magna pericula deducere ęgrũ poſſunt. Itaq; in anguſto res eſt: nam ex vna parte retentę hęmorrhoides aquam inter cutẽ afferre poſſunt, quandoq; etiam phthiſin; ex altera ſi ſuperflua per has venas fit euacuatio, omnia accidũt mala, quę redundantes hæmorrhagias ex quacumque parte corporis ſequi ſolent, ſic & ex retentis, & ex fluentibus admodum noxa timetur, vt conſtat ex Galen. Quare ſi vera methodo procedendũ eſt ad Hippocratis oraculum recurrere oportet: is .n. à diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi vna non ſeruetur, periculũ eſt aquã intercutẽ vel tabem aduenire. Hac ſententia modũ curationis debitũ hęmorrhoidibus inſinuat, nempè, vt non omninò ſupprimantur. Verũ nulla induſtria fieri poſſe arbitror vt medicus poſſet aliquas hæmorrhoides ſanare, aliquas apertas relinquere: quorſum ergo iſtud præceptum, ſi de impoſſibili tractat? vt curatione nõ admodum legitima omnes hæmorrhoidas ſanantes, ſtatim poſt aliquam aperiamus, quæ ab ijs nos malis liberet, quibus omnimoda retentio obno-

De differ. ſymp. c. vlt.

6. aph. 12.

G. 2. nat. fac. c. 8. & 4 de præſ. expulſ. c. 9. 6. aph. 12.

xios fecerat. Atq; hæc erunt veluti exēpla quædam, quæ facilem reddunt illegitimam curationem, quicquid autem remanet enucleandum reſponſione ad ea, quæ ſuperiùs in oppoſitum dicta ſunt, declarabitur.

Ad primum dicimus cum duo vrgeant ad id quod magis vrget ea cōditione occurrēdū eſſe, vt alterū quod vrget minus, nō contemnamus, atq; hanc eſſe verā methodū, & curationē legitimā, ſeu regularem. Cæterum aliquando ita ei quod magis vrget occurrere impellimur, vt alterum prorſus cōtemnamus, ita cogente neceſſitate, & tunc, quamuis (vti diximus) ratio ita faciendum ſuadeat, nihilominus, quoniā non ſuaderet niſi preceps, periculū adeſſet; nā & ex hac curatione periculum quoq; timetur, hanc curationē illegitimam, ſeu coactam appellamus e.g. ſi mulieri pleuritide grauiter vexatæ menſes fluāt deminutè, occurremus ei quod magis vrget altero non neglecto, hoc eſt venam brachij axillarē ſecabimus & ſimul cucurbitulas cruribus applicabimus ſic enim pleuritidi, quæ magis vrget occurrimus, menſes diminutos nō negligimus. Atque hæc legitima regulariſq; curatio cenſenda eſt neq;.n. aliquod ex ea periculū oritur, neq; illud præceptū tranſgreditur, ſed id eligimus, quod magis ex vſu eſt. Si verò cum redūdantia valdè magna menſtruorū, quæ vires reſoluat, & animi deliquium inuehat ſimul febris adſit, occurrendum eſt redundantiæ menſtruorum neglecta omninò febre, atq; ita & vinum

præbe-

prębemus & aſtringētibus euacuationem cohibere conabimur,& intempeſtiuè,ac etiā copioſiùs quàm pro ratione febris,nutriemus.hæc cura coacta ſiue illegitima appellabitur: quippè tunc præceptū in curatione febris obſeruandū tranſgredimur & in periculum augendi febrile malum incurrimus;nihilominus ratio hanc trāgreſſionem permittit, vt ſcilicet cum aliquo periculo præceps periculum euitare nitamur.

Ad alterū fateor, quando diuerſi concurrūt affectus eligendum eſſe ſcopum digniorem & maiorem, nego tamen in hoc caſu curationem coatam eſſe, eſt namque regularis & legitima, quod vt intelligatis aduertere debetis, aliud eſt concurrere affectus diuerſos, aliud contrarios: quādo igitur inter duos diuerſos, in quibus curatio vnius non contrariatur curationi alterius, potiorem,maioremq; ſcopum electione ſequimur,ex methodo operamur. At vero inter affectus contrarios non accedimus ad vnum,niſi cū præiudicio alterius, hoc autem ſic neceſſitate cōpulſi facimus ac proinde coacta illegitimaq; curatio cenſetur,exemplis hoc vobis fiet manifeſtū.Si quis hydrope, & catarrho ſimul teneatur, catarrhus ſua habet medicamēta caput ab humoribus craſſis purgantia,arteriacis,quæ tamen dulcia ſunt, & ſitim excitant, tuſſim mitigantia; hydrops ſua etiam poſtulat remedia, nempè hydragoga;quæ aquam è corpore educunt ſitim ſedantia, quare dulcibus abſtinere oportet, quid faciēdum? profectòs ſcopus,tum

ad vitam,tum ad receſſum à naturali ſtatu præſtantior maiorq; eſt,vt hydropē curemus, hunc eligimus, curatioque ita inſtituta legitima eſt. Rurſus accipite duos morbos cōtrarios nempè hypropem,& febrem putridam, hi duo affectus contrarias habent indicationes, hoc eſt cōtraria expoſtulāt remedia: tunc temporis ad febrē putridam curandam accedimus cum maximo hydropis præiudicio,& refrigerantia remedia, & cibum humidum offerimus,hæc autem curatio dicitur coacta, in qua periculum quidem euitare contendimus, alio ſcilicet periculo, ſed quod non ita celeriter mortem minetur.

Exercitatio de potu frigidæ in febribus.

CVm cōſtet apud omnes,tam Græcæ,quam Arabicæ ſectæ authores, frigidam in ardentibus eſſe exhibendam, duo in examen ſunt trahenda. Vnum,quid cōferat in febribus, alterum quo tempore conferat. Nam quod de vino dixit Poeta, Data tempore proſunt, & data nō apto tēpore vina nocent, multo magis de aqua eſt dicendū: quippè ex copioſo frigidæ potu ægroto ardēte febre æſtuanti conceſſo ſubita ſalus fuit non ſemel ſequuta. Fuit ex eodem ſubita mors accerſita, vt de quodā narrat Galenus, quæ effectuum contrarietas medicum ad huius auxilij occaſionem perſcrutādam adhortatur. Quod autem ſit optimum remediū,& à medico magni faciendū,verba Galeni nos ſuadent; *maxima vero continentium febrium remedia hæc duo ſunt,*

G.1.ſympt. cauſ.c.7.

G.9.meth. c.5.

ſunt, detractio ſanguinis, & potio frigidæ, Imo eodem capite potum frigidæ vicarium facit venæ ſectionis, vt ſiquis propter timiditatem ſanguinem ſibi mitti non patiatur, is ad frigidę potionem recreat, & alibi nullum mortuum fuiſſe ait ex ijs, quibus frigidam propinauit. 4.acut.12.

Quod ad primũ attinet videtur aquæ potus ſola rifrigeratione, & humectatione conferre: nam præterquã quod Hippocrates id inſinuat inquiens, *aquæ, quæ in acutis bibitur morbis, nullũ ſanè aliud habeo quod illi concedam officium; neque enim in peripneumoniacis tuſſim ſedat, neq; ſputum educit*; quibus verbis videtur velle id, quod Galenus ſæpè repetitũ reliquit, aquæ potũ febrem qua febris eſt iuuare, ea ſcilicet lege, qua cõtraria contrarijs curantur. adeo vt dicat frigidam perpetuò febris eſſe remedium, non tamen putreſcentium humorum per aluum, vrinas, vel ſudorem vacuandorum. G.3.acut. 40.

Ex altera parte vidẽtur iſti duo medicinæ parentes ex aquæ potu euacuationem aliquã expectare. Hippocrates enim in Metonis hiſtoria narrat fluxum vẽtris ad aquæ potionem ſequutum: Et in epidemijs etiam vomitum laudat his verbis. *In febribus acutis ſiticuloſi, à medicis potu interdicto, aut etiam à ſe ipſis abſtinẽtes, multũ ſibi bibere poſſe videntur: his aqua frigida data vt reuomant prodeſt: billioſa enim aderunt.* Galenus etiam ad euacuationem aquæ potu vtendũ cenſet. Dũ enim damna quæ ex aqua frigida intempeſtiuè exhibita eueniunt, ennarrat adiũgit, ergo quo- H.in epid. in fine. G.9. meth. c.5.

ties ex his (nempè tumoribus præternaturam) febris accenditur,atq; ad eos euacuandos frigida data non conducit, ad præſens quidem non paruum affert leuamẽ,propterea quod iam accenſam febrẽ extinguit;verum cũ cauſa eius adhuc perſtet, aliam denuò accẽdi eſt neceſſe, atque ea quæ præceſſit, nonnunquam difficiliorem, propterea quod denſatum ex frigida corpus eſt. Ecce aquæ potũ ni euacuet damnoſum eſſe exiſtimat, alibi etiam narrat quendam & vomitu & ſeceſſu ex aquæ potu liberali fuiſſe euacuatum. Longè manifeſtiùs Auicenna,qui de aquæ frigidæ potu loquens, ait, *& fortaſſe conuertitur febris ad phlegmaticã,& fortaſſe confortatur natura, & expellit materiam cum ſudore, & vrina,& fluxu ventris, & eſt ſanitas.*

G. 10. meth. c. 5.

Au. 1. 4. tr. 2. c. 7.

Mihi ſanè videtur aquæ potum vtrumq; præſtare nempè refrigerationem,qua febrilis calor extinguitur,& vacuationẽ per vomitũ,per aluũ, per ſudorem, dummodo in exhibenda cõditiones obſeruemus,quas poſt modo ex Galen.afferemus.Itaq; in ephemera,& ſynocha ex ſanguine non putreſcẽte,quæ ad ephemeras reducitur ſola refrigeratione, & humectatione iuuat, in putridis, etiã euacuatione. Cęterum interrogabitis,ſi refrigerat & humectat copiosè exhibita, debet ne offerri febricitantib.febre hectica?Reſpondeo inter conditiones à Galeno aſſignatas vnam eſſe vt ille cui aquã copioſam offerimus, pro munimento habeat maximã caloris copiã. namq; calor cum in vaſorum ſinubus plurimus conti-

G. 9. meth. c. 5.

contineatur, vt potè tum aërea in his ſubſtãtia, tum etiam ſuccis omnibus inflammatis, quantũ à frigido patitur refrigeratus, tantũ rurſus calefaciẽdo in ipſum agit. Ideoq; minus tuta ijs, quę exiguum ſanguinem, carnemq; obtinẽt, frigidæ potio eſt: celeriter nãq; ad ſolidas animalis peruenit partes, nulli quod ęius vim frangat occurrens: eo etiam fit, vt hecticæ febres, nec perindè eam, quæ prorſus ſit gelida, nec multam deſiderent: ceù quæ extenuatis omninò, exiguiq; ſanguinis corporibus incidant, iuxtà hanc doctrinam Auicenna negat frigidam, vbi ſit complexio pauci ſanguinis, aut caliditas innata debilis. Atque hæc de primo quæſito.

De altero contentio eſt inter Græcos, & Arabes: licet ex Arabum familia Auicenna Græcis (vt dicemus) adhęreat. Exiſtimat Galen. non cõuenire frigidę potionem, niſi cum coctionis euidentes apparent notę, & alibi cũ ſucci coquuntur, & craſſitudo eorum fuerit extenuata frigidam exhibendam eſſe ait. Ex quib. cõſtant illũ expectaſſe quidem coctionẽ, non tamen omnino perfectam. Ætius vlteriùs progreſſus nõ niſi ſtatu, cum iam perfecta eſt coctio frigidã exhibet; quemadmodum etiam in particularib. acceſſionibus particularis ſtatus ad frigidã potionem exhibendam expectatur. Auicenna videtur expectare, donec humor ſit cõcoctus: ſiquidem dum proponit dandæ frigidæ cõditiones, prima eſt, vbi materia calida, aut groſſa iã digeſta eſt.

G. 9. met. c. 5.

Æt. tetr. 2. ſerm. 1. c. 72

Rhaſis non ſemel reprehẽdit eos, qui in febre

Rhaſ.1.diuiſion. c.148. & c.149. & c.150. & 3. aph.

cauſone, & ſynocha remorãtur frigidę potionis exhibitionem, & poſt multa narrat hiſtoriã cuiuſdam hominis, qui æſtate iter agens incidit in febrem acutam, cui exhibuit (quod mirũ & ferè incredibile videtur) libras decẽ aquæ frigidæ, & calor eſt temperatus, & vrinã fecit in quãtitate nimia, & febris eius minui cępit, quæ tamen per dies quadraginta durauit. Huius hominis ſeruus, quoniam omnes in Domini curatione occupati, ei aquam non exhibuerunt, mortuus fuit veſpere, cum caſus hic mane accidiſſet. Auerroes hanc hiſtoriam citat & Rhaſis ſententiam magni facit, ac ſequitur.

Auerr.7.collect.c.8.

Si vero quęratis vtriuſq; opinionis rationem, ſcire oportet, eos qui coctionem expectãt, ideo id facere, tum quia ante coctionẽ exhibita, coctionem tardiorem reddit exemplo carniũ, quæ elixantur: ſi enim ollæ frigidam in media elixatione inijcias, tardius coquẽtur: tum quia ſi poſt aquę potũ euacuatio ſequetur, tũc commodius id fiet, quando materia eſt à natura ferè ſuperata. Alij verò, qui principio ſtatim exhibent, perſuadẽtur ex eo, quod ſi tardetur, vel vehemẽtia caloris præter naturã, calor naturalis extinguetur, & mors aderit, vel febricitans ad hecticam deducetur. Quibus vtrinq; rectè penſitatis prudens medicus debet animaduertere, quando ex habitu, & temperamento ægrotantis ex ętate, & caloris vehementia periculum imminet, ne ad alterum duorum perducatur, aut extinctionem caloris, aut febrem hecticam, & tunc non eſt cũctan-

ctandum, ſicut nec Galenus ipſe, qui coctionem expectat, cunctaretur, & hanc eius mentē fuiſſe ex eodem colligetis: quippè narrat cuiuſdã iuuenis, qui in feruorib. ſub canicula ex ira febricitauit (erat autē ſiccus & calidus) vbi in prima acceſſione duas hæminas bibiſſet, ſtatim quidē vomit flauiſſimam bilem, nõ multò autem poſt etiam deorſum excreuit. Deinde cũ rurſus poſt cibum aquę circiter heminã ſimiliter ſumpſiſſet iam febricitare deſijt, & in capite ſequente fatetur, tutius eſſe phlegmonas in præſens augere, quàm ſinere hominem hecticam febrem incurrere. Hoc conſiliũ ſuſcepit, & poſteris inculcauit Auicenna, inquiens, & quando iterum ſunt quædam prohibentia, deindè timetur nocumētum caliditatis, & ſitis, & exiſtimas, quod peruenitur per eam ad ariditatem, vel extenuationem, non prohibeas aquam frigidam, nam additio apoſtematis, & cruditatis eius melior eſt, quàm extenuatio. G.10.meth. c.5.& c.6.

Sed quæ nam ſunt iſta prohibentia? iam dixi vnum eſſe, vt æger naturali calore, hoc eſt ſanguine & ſpiritu ſatis abũdet, ſit etiam bene carnoſus. Addite in ſolis febrib. ex ſanguine aut bile, eſſe exhibēdam, minimè in pituitoſis, aut melancholicis, in quibus & cruditas, & obſtructio augeri ex aquę potu facilè poſſunt. prętereà vbi nulla adſit alicuius interni viſceris imbicillitas, aut internus aliquis abſceſſus, aut dolor. his accedit cõſuetudo, quippè ij per ſanitatē aquę potui ſunt aſſueti tutius in morbo eodē poſsũt vti.

Quan-

Quantitas,quando habitis omnibus his conſiderationib. aqua exhibetur, non ſit mōſtruoſa illa à Rhaſi tradita hæminarū decem: eſt hæmina menſura cōtinens vncias decem. Auicenna ex medicorum ſententia ait dari quantitatem plurimam,adeo donec color ægrotātis fiat viridis,& tremat,tunc aſſignans quantitatē adiungit, quæ ſit ſaltem perueniens vſq; ad hæminam vnā,& demidiam. erunt igitur vncie quindicim. Galenus verò nulla adhibita menſura aquam porrigit, ſed ad ſatietatem vſque & terminum ſtatuit, inquiens, potio autem frigidæ huiuſmodi tanta ſit, quantum frigidæ aquæ inſpirando haurire poſſit.

G. 1. acut. 43.

Mihi ſanè videtur aliud eſſe loqui de exhibēda aqua frigida per plures vices in toto morbi decurſu,aliud de exhibēda ſemel aut bis copioſa nimis.Quod attinet ad primū ægrotantes febre ardente non ſunt valdè ab aquæ potu arcēdi,ſed ſatis ſiti,ſiccitati, ardori eſt indulgēdum. Quod ad ſecundum in febribus à nuda intemperie, vt eſt ephemera & ſynocha ſine putredine, in quibus ſola alteratio in cōtrarias qualitates peragenda eſt,non oportet coctionē expectare;quis enim in morbis,in quibus materia non peccat materiæ coctionem ſpectabit. In putridis ſi ſine periculo extinctionis caloris,aut inducendæ hecticę poſſumus vſq; quo appareāt coctionis notæ expectare,id quidem faciendū, ſin minùs non cunctandum: nam damna quæ ex aqua intempeſtiuè epota eueniunt, longè mino-

minora ſunt quàm ea, quæ ex febrili ardore aucto poſſunt ſuperuenire.

Sunt autem damna ex Galeni ſententia, quod lentos, craſſoſque humores, ſiue hi obſtructiones, ſiue putredinem, ſiue phlegmonē, ſiuè eryſipelas aut ſcirrhum aut ædema creauerint,) attenuari, digeriq; prohibent. quod ſi aliquando ad præſens febris extincta videatur, aliam denuò accendi neceſſe eſt, priore difficiliorem, propterea quod dēſatum ex frigida corpus eſt. Præterea particulæ imbecillæ, ſiue ex naturali, ſiue ex aſcititia intēperie, à frigida læduntur. Alijs namq; gula adeo vehementer eſt affecta vt, vix deglutirent, alijs vētriculus vt vix concoquerent. Alijs ventriculi os, aut iecur, aut colon, aut pulmo, aut ſeptū trāſuerſum, aut renes, aut veſica, aut tale quidpiam aliud à frigida percuſſum, ad proprium opus infirmum, ſed illicò, difficultate ſpirandi, & conuulſione, & tremore, corripiuntur: ac toto vt ſemel dicam neruoſo genere læduntur. G. 9. me. h. c. 5.

Tutius ergo eſt cum frigidæ copioſiore hauſtu vt oportet ſtillatitias aquas aſſumere, quod Valleſius accepit ab Auicenna: quippè ſyrupum acetoſum ſitim ſedare ait, & incidere, & ſoluere, & nocumētum eius non eſſe plurimum ſicut nocumentum aquę. Exiſtimat autem ſyrupum valdè dilutum optimum eſſe quem ille, iuleb plurimæ commixtionis appellat, vulgus medicorum iuleb longum ſolet appellare.

Excr-

Exercitatio de morbis ex nimio vini potu.

INter cauſas, propter quas Silenus ægrotauit recenſentur potationes, ſcilicet, vini, ſic par eſt intelligere. Verũ cum morbus fuerit acutus, hoc eſt febris bilioſa cum bilioſa ſyncera diarrhæa, cum rurſus ex crebro vini potu morbi frigidi gignantur, res eſt explicatione digna nec inutile quidem, vt ſciatis, quid in contradictione iſta ſit ſentiendum. Homines ebrietate frequẽter correptos frigidis morbis eſſe obnoxios manifeſtũ eſt, nullos enim magis catarrhoſos, nullos paralyſi plus tentatos inuenietis, quàm eos, qui vino plus nimio indulgent, pauci etiam huius ſectæ homines ſunt, qui in hydropem aut ſaltem in cachexiam tandem non incidant. Id fieri communiter dicitur, quoniam calore vini calor naturalis ſuffocatur, hinc cruditates & impotentia ad coquendos cibos, vt optima ſit comparatio, qua Virgilius in ſuis opuſculis vtitur inter venerem & vinum; ſiquidem vtriuſque moderatus vſus ſanitati confert, vtriuſq; immodica aſſuefactio ægritudines inducit, vitamque breuiſſimam efficit: pauci enim iſtorum ad ſenectutem ſe conducunt. Eleganter hoc pertractat Galenus. *Nec vinum* (inquit ille) *ſemper animal calefacit æquè, vt nec oleum flammã accendit, tamenſi aptiſſimum eſt ignis nutrimẽtum, imo ſi imbecillæ & exiguæ flammæ confertim multum oleũ infundatis, ſuffocabitis eam, prorſuſque extinguetis potiùs quã augebitis. Sic igitur, & vinum, vbi plus*

G.3. de tẽperam. c.3.

bibitur

bibitur quàm vt vinci poſſit, tantũ abeſt vt animal calefaciat, vt etiam frigidiora vitia gignat: quippè apoplexiæ, & paraplexia, & quæ græcè caros, & comata vocamus, & neruorũ reſolutio, & comitiales morbi & conuulſiones, & tetani immodicũ vini potum comitantur, quorũ vnum quodq; eſt vitium.

Alia etiam eſt ratio præter prædictam, nempè, quia vini ſubſtantia valdè vaporoſa eſt, vt propterea in omnibus capitis affectibus meritò vinum interdicatur, vaporoſa autem ſubſtantia eſt quia calida, & humida multaſq; ſubtiles habet partes, calidum enim in humidũ agens parteſque quamplurimas reperiens, quæ attenuari quidem poſſunt, fumos excitat immodicos, qui in cerebro recepti neq; concoqui, nec retineri poſſunt; quare incõcocti defluunt parteſq; omnes capiti ſubiacentes, ſed præcipuè neruos, qui cerebri propagines cenſentur, offendere ſunt apti. Cauete igitur à Macrobio, qui falcem mittere voluit in ſegetem alienam, conſiderans has ægritudines frigidas, quibus vini potio occaſionem præſtat, vini temperamentum frigidum eſſe ineptè ſtatuit, ſed de vini temperamento non eſt hic agendi locus, ſed pro hypotheſi illius calor & humiditas accipiatur. Macrob. li. 7. ſaturn. c. 7

Cur ergo febrem, quæ morb. eſt calidiſſimus, & diarrhæã bilioſam excitauit? Reſpõdet Mercurialis vinum moderatum calorem naturalem fouere, immoderatũ morbos excitare calidos, immoderatiſſimum frigidos, vtpotè quod calorem naturalem extinguit. Verũ iſtam trimẽbrem

brem diuiſionē nuſquam mihi contigit reperire: nam Galenus vinum moderatum comparat oleo flammam fouenti, ſuperfluum ſuffocanti. Deinde vinum moderatum, quod excitat morbos calidos, vt calorem præternatutam excitat, ſic minuit naturalem, ſi verò vſq; ad caloris naturalis extinctionem procedatur, frigida mors non frigidus morbus aderit: neque enim catarrhos, & alios morbos frigidos propter extinctionem, ſed propter deminuitionem duntaxat caloris fieri dicimus.

G de morb. cauſ. c. 3.

Mihi quidem videtur ex vini potu poſſe corpus præter modum incaleſcere, adeò vt febris excitetur, ſic Galen. inter cauſas febrium ebrietatem reponit. Nam vini potio, velut etiam alię cauſæ calefacientes febrē ephemeram inducere poſſunt. Hęc in corporib. prauo humore refertis degenerat in putridam, vt Galen. etiam fatetur. Ceterum quando dicimus morbos frigidos oriri ex ebrietate, intelligimus ex ebrietate aſſidua: potandi enim cōſuetudo quemadmodū & lurcandi, calorem naturalem, ità opprimit, vt ignē cōgeries lignarum. Hinc eſt, quod homines gulæ dediti tractu temporis incidūt in hydropem. Quamuis autem hydropem ex morbi acutis fieri dixerit Hippocates, quamuis etiam catarrhi ex intemperie cerebri calida, & alij morbi frigidi ex cauſa calida oriantur, ex vini potu per ſe fit febris, quæ eſt morbus calidus, per accidens verò quatenus longa aſſuefactione calor debilitatur, affectus frigidi pullulant.

1. deff. feb. c. 2.

G. 8. meth. c. 7.

H. 2. prog. 1. H. in lib. de loc. ī homī.

Hinc

Hinc igitur colligetis, potuiſſe Silenũ in vna cęna liberaliter potare; & ex hac potione incaleſcere & febrem ſibi accerſere poſſunt ex altera parte bibaces longo potandi vſu in paralyſes, epilepſias, alioſq; morbos frigidos delabi; imò diſponũntur aliquando ad apoplexiam capite ex continua repletione reddito imbecillo; & ſic ob præcedentem diſpoſitiónem ſuperuẽniẽte ebrietate apoplectico inſultu corrigi, quibus tunc remedium erit ſuperueniens febris, vt ait Hippocrates: quippè vinum vt ait Auicẽna, ſemicrudos humores ad caput defert; qui in cerebro præcipuè imbecillo (vt ſupponimus) non coquuntur, ſed crudi manent, quapropter poſſunt à calore febrili; attenũari, vnde ventriculorum cerebri obſtructio attenuatis ijs, quæ ſua craſſitie obſtruebant, ſoluitur, & via panditur, vt virtus animalis, ſiue cum ſpiritu, ſiue ſola radiatione tranſmittatur, poſſit liberè tranſmitti. H.5.aph.5. Au.3.1.doctr.2.c.7.

Conſequutione ſermonis poteritis animaduertere, quemadmodum morbi frigidi, per accidens à cauſa calida fiunt; poſſe è cõtrario morbos calidos; ſimiliter per accidens fieri à cauſa frigidà. Sic pleuritides & peripneumoniæ, quæ inflammatione, ac ſubinde affectus ſunt calidiſſimi ab aëre hyberno contingunt; non operante frigore per ſe & directè, ſed per accidens & indirectè, quatenus. ſ. frigore meatus externi conſtipantur, & calor non difflatus, ſed intus incluſus excandeſcit, quàm rectè Hippoc. in hyeme pleuritides & peripneumonias fieri dixit. H. 3.aph.23

Excr-

Exercitatio de recta exercitij norma.

HOc etiam habet proprium exercitatio, vt ſi ea, vt decet, vtamur, vtiliſſima ſit, ſin abutamur, valdè pernicioſa. Nec verò eſt cur cõmoda eius omnia, & incommoda percurramus, ſufficit, vt quod ad Silenum attinet dicamus, ſ. eum meritò ægrotaſſe ob exercitia intẽpeſtiua. Sunt autem intempeſtiua ſi à cibo fiant: vnde prudẽtiſſimus Hippocrates, labores, cibi, potus, res venereæ omnia mediocria in quo artificioſè ſe gerit, quod Galenus non ſiluit, quippè & modum ſingularum rerum ſignificauit, addito in fine, epitheto, omnia mediocria, & tempus vniuſcuiuſq; nos docuit ſcribens ſingula eo ordine quo conueniunt. Primum igitur locum ſibi vẽdicat exercitatio, videlicet ante cibum, labores, ait, cibos præcedant, labores dixit, hoc eſt, exercitia: quamuis enim πόνος ideſt labor multa ſignificet pro exercitio accipi etiam ſolet, quod ex multis Galeni locis vobis fiet manifeſtum. Illud ſolum animaduertere oportet hanc ſentẽtiam à Galeno citari, quam valdè laudat. citari etiam, ſed in his duobus locis dici eam in aphoriſmis eſſe, cum tamen in aph. non ſit ſed 6. epid. quod notauit marginalis correctio, vnde meritò colligit Foeſius Gal. contextũ eſſe mutilatũ.

Hip. 6. epid. ſect. 6.

G. 2. ſan. uend. ca. 2.

H. 6. epid. ſect. 4. in ſine.

2. aph. 16.

2. Sanit. tu. cap. 2. & 5. eiuſd. operis c. 11.

Cur autem non niſi vacuo ventriculo corpus exerceri cõueniat, facilè explicabo: ſomnus (inquit Galenus) cõcoquit, vigilia digerit, ſomnus, hoc eſt quies, neceſſaria eſt ad ciborum coctionem,

G. 12. met. c. 5.

nem, vigilia verò, ad digeſtionem, notare igitur oportet digeſtionẽ licet à barbaris pro coctione accipiatur, nihilominus propriè loquẽtibus, accipi pro diſtributione alimẽti per vniuerſum corpus. Itaq; quemadmodum quies inſeruit coctioni, ſic vigilia, ideſt motus diſtributioni. Diſtributio autem poſt coctionem ſequitur, vnde ſiquis, quando fieri debet coctio, ac proindè quies expoſtulatur, fiat diſtributio, propter exercitium, præpoſterè agitur.

Exercitatio. An natura ſit morborum medicatrix.

QVamuis naturæ plurima ſint ſignificata, tamen ex ſententia Galeni, hoc loco per id nomen naturæ vim quandam intelligere cõuenit in his ipſis corporibus, quæ ab ea reguntur habitantem. Huius quatuor ſunt miniſtrantes facultates: idoneorũ, ac familiarium attratrix; eorundem retentrix; tertia alteratrix, & concoctrix; quarta alieni ſegregatrix. Porro naturam ſic acceptam nõ eſſe morborum medicatricem poſſet aliquis ob plures rationes ſibi perſuadere. Prima. Natura multo potentior eſt arte ex Gal. quare ſi naturam habemus morborũ medicatricem, cur in medẽdis morbis confugimus ad artem ſanè minus potẽtem. Secunda. Natura morbos facit, non ergo morbis medetur. Non ne à natura cæco impetu humores tranſmittente fiunt fluxiones, & ex fluxionib. abſceſſus? Tertia. Quamplurimi ſunt morbi in quib. nihil natura præſtare poteſt, teſte Galeno, os nimirum

Gal 6. epid. ſect. 5. in principio.

Gal. 6. epid. ſect. 5. com. 2.

Gal. de conſt. art. c. 12.

mirum ita perfractum, vt de ſuo loco partes decedant, membrumq; diſtortum reddatur, haud poteſt natura corrigere, & cõformare, ſicut poteſt medicus, qui item poteſt luxatum reponere, quod pariter naturæ negatum eſt. Præterea vulnus ſuitur, abſceſſus ſecatur, caro ſuperflua vſtione abſumitur, horũ nihil natura poteſt pręſtare. Quarta Natura expellendis morbis nõ eſt apta: ſiquidem illa ſuauiter diſponit omnia, hi ad expulſionem ſui violentiam poſtulant, maximè quos acutos ſolemus nuncupare.

Hipp. 6. epi. in princip. Contrarium nihilominus eſt veriſſimum, & ab Hippocrate promulgatum, dum inquit, *Naturæ morborum medicatrices.* Hanc veritaté conjectare poſſumus ex naturali inſtinctu, quo bruta animalia prædita ſuiſmet malis medentur, vt videre eſt apud Plin. Quare cum ab animalibus magnam auxiliorum partem acceperimus eãdem à natura didiciſſe gloriamur. Venæ ſectionem, quæ remedium eſt magnum præcipuè in plenitudine ab Hippopotamo nobis aduenit: quippe Hippopotamus aſſidua ſatietate obeſus exit in littus, recentes arundinum cæſuras ſpeculatus, atq; vbi acutiſſimum videt ſtirpem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluuio ſanguinis morbidum aliàs corpus exonerat, & plagã limo rurſus obducit. Capra nos docuit quomodo pueri lactentes, ſi purgatione egeant, ſunt purgãdi, mulier capra elaterium, aut cucumerem agreſtem edit, & lac ex eo aſſumpto purgantem facultaté ſu-

Plin. lib. 8. nat. hiſt. ca. 26. & 27.

6. epid. ſec. 5. tex. 35.

ſuſcipit. ita mulieres purgans medicamentũ cũ cibo edentes, pueris lactantibus contingit purgatio. canes gramen rodentes ſibi vomitũ prouocant. Volueris in Ægypto, quæ vocatur ibis roſtri aduncitate per eam partem ſe perluens, qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt, nobis clyſteris vſum demonſtrauit. Multa alia afferre poſſem, ſed quoniam poſſet aliquis dicere hæc animalia ſine medico ſibi mederi, nõ verò ſine medicina, etenim non ſola naturæ ope, ſed medicis vtũtur auxilijs, ſciat oportet me iſthæc attuliſſe, vt oſtenderem natura medicinam faciente animalium ſanitatem conſtare; ſi quidem remedijs vtuntur à nullo alio, quàm à ſuamet natura edocta.

Pergo tamen vlterius, & oſtendo naturã per ſe ipſam eſſe, & medicatricem, & medicamentũ: quippè illa rectè ſe habens in mediocritate conſiſtit, neq; enim deficit, nec excedit, proptereа iuſtiſſima ab Hippocrate & Galeno appellatur, morbus autem conſiſtit in exceſſu, aut defectu, quare omni morbo natura contrariatur, omnemq; morbum tanquam ſuum contrarium tentat expellere. Morbum ergo non niſi calidũ remedia frigida oppugnabũt, calida frigidum, & ſic in ceteris: natura autem debellat morbum non quia calidus, aut frigidus eſt, ſed quia naturæ inimicus. Ideo ſubitam morborum ſolutionẽ ſolemus criſim, hoc eſt iudiciũ appellare, ſic nẽpè ſignificãtes morbum litem quandam eſſe inter cauſam morbi, & corpus noſtrum, quam iu-

dicat natura. Solemus etiam dicere coctione indicare victoriam naturæ, quaſi in morbis ea ſit, quæ pugnat.

Neq; obiecta oppoſitũ ſuadent. Nam ad primã facilis eſt reſponſio: quippè licet natura potentior ſit omni arte, nihilominus multoties arte indiget ad operandũ, nec eſt abſurdũ potentius ab impotente adiuuari, ſic in bello Imperator nihil efficeret ſine militum miniſterio, & in corpore noſtro, quod bene ordinatę reip. reſpõdet cor viſcus potentiſſimum ſine pulmonis minus potentis miniſterio non viueret. Secunda, concludit duntaxat naturã aliquando (quia nõ ducitur intellectu) tranſmittere ad partem id quod tranſmittendũ non foret, & ſic morbos facere, hoc tamen non impedit quominus eadem natura morbos à ſe genitos poſſit curare, quippè abſceſſus à natura factos, natura ſuo miti, & innato calore reſoluit, aut ſaltẽ eodem naturali calore ſimul cum calore præternaturã ad ſuppurationem adducit. Ad tertiam. Natura ſimul cum medico, vt ait Gal. ad ſanationẽ morborũ concurrit, cæterum ſi recta trutina rem expenditis, inuenietis nihil vnquã ſine naturæ conſortio à medico perfici poſſe, poſſe tñ à natura fieri aliqua ſine medico. Singula exẽplis illuſtrabo. (G. de cõſiſt. art. c. 12.)

Quædam ſunt, quæ à medico fieri dicuntur nõ tamẽ prorſus abſq; natura (quod Gal. forſan non animaduertit) e.g. oſſium repoſitio à medico fit. Hæc nil proderit ni natura ligamẽtis articulũ firmauerit. Vulnus ſuitur. Sed oportet, vt

natura

natura ſit,quæ partes diuiſas cõglutinet. Sectio tumoris fit à medico vt tamẽ natura per ſectionis aperturam quicquid præternaturã eſt effundat,ſiue ſit pus,ſiue os carioſum.caro ſuperflua, à medico vſtione conſumitur, qua tamen conſumpta expectat medicus, vt natura cicatricem obducat.

Alia ſunt, quæ à natura fieri dicuntur, requiritur tamẽ aliqua medici opera,e.g.vlceris caui repletio,quamuis enim de conſt.art.citat. Gal. dicat natura vlcus cauum poteſt carne implere, medicus verò nequaquam, nihilominus quid in hoc medicus efficiat declarauit, inquiens, *ipſa namq; generatio carnis naturæ opus eſt, itaq; ægro ad hanc rem nihil opus eſt arte medica.Vt autẽ quæ prouenit caro coaleſcat, circum hæreatq; omni oſſis parti,id inde maximè eueniet ſi neq; ſordes ſuper eo ſit,neq; oleoſa quæpiam pinguedo. Id igitur eſt quod ægris medici ad carnis productionem præſtant.* Hæc Galeni verba prorſus declarant aliquantulum ope medica opus eſſe ad carnis regenerationẽ. G.6. meth. c.6.

Alia ſunt quæ natura per ſe ſolam efficit, e.g. ſpontaneæ euacuationes, quæ per criſes fiunt, & morbos ſoluunt.

Si verò quęratis quid de coctionib. ſentiam, eas profectò ſolius naturæ eſſe exiſtimo:nã medicus nihil aliud pręſtat,quàm cauere,nè impediantur, atq; ideo tẽpore coctionis tenuem victum inſtituit,ne natura à coquendi munere diuertatur eandem ob cauſam iubet Hippocrates nihil mouere, neq; nouare ſiue medicamentis,

ſiue aliter irritando ſed ſinere, ita etiam ſentit Gal. Verumtamen idem ſui oblitus, vbi Hippocrates ait *maturationes excremẽtorum omnes vndiq; tempeſtiuę aut bonę, & decretorij abſceſſus cõſiderandi*, ſunt pro verbo σκοπέεος conſiderandũ alios etiam legere ait ποιέεος faciendum quod etiam Foeſius in reconditiſſimo exemplari manu ſcripto ſe reperijſſe ait. Quare Gal. faciendũ etiam recipit, & iuxta hãc lectionem inquit, coctionem efficere calefaciẽtia mediocriter omnia tum cibos, tum fomenta, & cataplaſmata, frictionem item modicam, & balneum huius eſſe generis. Verùm quemadmodum fomenta, & cataplaſmata in abſceſſibus coctionem adiuuare fateor, ita etiam reliqua coctioni vniuerſali prodeſſe poſſe omnino non admitto, cibi enim licet mediocriter calidi non adiuuant humorum coctionem, imo eam impediunt diuertendo ſcilicet naturam. Frictiones etiam, quas in conſil. de puero epileptico exercitij vicem ſubire ait, profunt quidem ad diſtributionem, non autem ad coctionem dicente eodem ſomnus cõcoquit, vigilia digerit, iam verò balneum calorem ad externa trahens coctioni aduerſatur, quis autẽ tempore, quo expectatur humorum maturatio ægrum ad balneum mittet?

G. de conſt. art. cit. Gal. 1. epid. ſect. ſect. 2. tempeſt. 2. tex. 44. σκοπέεος. ποιέεος. G. 12. meth. c. 3.

Tandem nulla ſunt, quæ medicus ſolus ſine adiumento naturę efficiat, vt hinc poſſitis colligere veriſſimam eſſe ſententiam Hippocratis in libello de alimentis. natura in omnibus ſubuenit. quippè ipſa omnibus adeſt vel ſola, vel ſi-

mul

mul cum medico, medicus nunquam ſolus, ſed ſimul duntaxat cum natura. Quarta obiectio, naturæ ordinem collaudat in diſponēdis rebus omnibus, cæterum id efficit quoad poteſt: nam in ſanatione morborum, etiam violentiā (quando aliter fieri nequit) ſolet adhibere, vt conſtat ex perturbationibus, quas excitat tempore criſis, ex debilitate, quam euacuando inducit. Similiter medicus Hippocratico conſilio adiutus ſtudet medicinam facere tutò, citò, iucundè.

Excrcitatio Vtrum medicus ſit imitator naturæ.

VVlgatiſſimum eſt apud medicos, medicū eſſe naturæ imitatorem; quod tamen controuerſia non omnino caret. In primis in doloribus natura, & medicus ſibi inuicem contrariantur: quippè natura ad partem dolentem tranſmittit materiam, vnde inflammatio, & tumor conſequitur, medici autem ſtudium eſt reuellere à parte affecta. Deinde natura in febrib. augens pulſuum differentias ægroto auxiliatur, facit enim pulſus magnos, celeres, & frequētes, & reſpirationem ſimiliter, vt maius refrigerium ſuſcipiat cor; ſic poſtulante nobiliſſimi illius viſceris neceſſitate. At verò medicus his eiſdē differentijs perterretur, ex quib. prauum euentum prædicit; & quoad fieri poteſt refrigerando efficit, vt & pulſuum, & reſpirationis differentiæ ad mediocritatem reducantur. Præterea *à febre ardente habita, rigore ſuperueniente ſolutio*; ſanat H.4.aph.58 ſiquidem natura febrem ardentem inducto ri-

gore, in quo medicus, nequaquam naturam imitabitur, neque enim ei facile eſt rigorem inducere, nec ſi eſſet facile expediret id facere.
H.4 aph.64 Vlterius idem, *quibus in febribus morbus regius ſeptimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo ſuperuenerit bonum, niſi dextrum hypocandriũ obduruerit*. Eritne medicus in hoc imitator naturæ & morbum regium excitabit? id quidem facere nec poteſt, nec debet. Tandem natura vel eſt communis, vel vnicuiq; particularis. Communem imitari non pertinet ad medicum: neq; enim medicus communem hominem curat, vt inquit Ariſtoteles, ſed Calliam, aut Socratem;
Ariſt.1.metaph.c.1. nec etiam oportet imitari particularem nam hæc ſi benè habet non indiget medico imitatore, ſi malè ſe gerit medicum correctorem, non imitatorem expoſtulat.

Expendere tamen oportet naturæ noſtræ finem, & ſcopum eſſe corpora ſana conſeruare, & ægrotantia deducere ad ſanitatem, & in hoc medicus cum natura conuenit: vtriuſque enim vnus, & idem eſt ſcopus. Vnde quotieſcunq; natura ad conſequendum ſuum finem media accipit, quæ à medico accipi poſſint, eiſdem medicus etiam vtitur, ac ſic naturam imitatur. Neq; verò exiſtimetis medicum in hoc à reliquis artificibus non differre; ſiquidem omnis ars natuturam imitari dicitur. Nam licet in qualibet arte aliquod imitationis veſtigium appareat, in nulla tamen æquè, ac in medicina. Siquidem vera imitatio, & in fine, & in medijs ad finem conſiſtit:

ſiſtit: medicina autem in medijs vt plurimum (quando ſcilicet poteſt) cum natura conuenit, in fine autem ſemper.

G.17. de vſu partic. 1

Polycletus (inquit Galenus) *naturæ fuit imitatur, in quibus ſaltem eam potuit imitari, potuit autem in ſolis externis partibus, in quibus artem conſiderauit.* Et alibi, *Praxiteles, aut Phidias, aut alius quiſpiam ſtatuarius, foris tantum materiam ornabant, qua ſcilicet parte licebat eam attingere, internam eius partem illaboratam, ocioſam, artiſq; immunem, ac neglectam reliquerunt. Cæterum ars iſta, quæ apparentem duntaxat figuram efficere conatur, quomodo quæſo comparabitur cum arte medica, quæ ad intima penetrans, aliquando in operibus ſuis naturæ veſtigijs inſiſtit, vt quando quò natura vergit per loca conferentia eò ducit, aliquando naturam errantem corrigit, vt quando natura in carnis generatione (quòd ſuum munus eſſe diximus) ſuperfluit; medicus exceſſum tollens carnem ad debitam menſuram reducit, aliquando naturę prę impotentia ſuum munus perficere nequeunti opem fert, vt quando poſt imperfectas criſes medicus ſanitatis operi vltimam imponit manum, aliquando denique naturã agendo ſuperat, vt quando ex principijs originis noſtræ nos ad ſenectutẽ ducit, medicus ſuis auxilijs aduenientem ſenectutẽ aliquantulũ remoratur.*

2. nat. facul. c. 3.

Cæterum quando dicimus medicum eſſe artis imitatorem (quod in Galeni doctrina paſſim reperietis) hoc nomine vtimur generaliter: interdum enim propriè imitator appellatur quoniam opera ſimilia operibus naturæ exequitur,

vt ſi alui fluxu euacuet, aut hypercatharſi nempè per ſputum, & etiam (vt eſt multorum opinio, quam in libro de Syntaxi prędictionum declaro) per ſudorem. Interdum dicitur miniſter, hoc etiam nomine ab artis proceribus inſignitur: quia videlicet naturæ miniſtrat inſtrumenta, quibus illa poſſit agere: nam & purgatio per aluum, ſputatio, ſudor, & reliquæ euacuationes à natura fiunt, ſed inſtrumentis artis; hinc eſt quod Galenus purgationem fieri ait medicamento trahente, & natura expelléte, hæc autem non expelleret niſi medicamentum ei pro inſtrumento eſſet. Interdum dicitur auxiliator quando ſcilicet labenti naturæ auxilio eſt, vt quando vires reficit. Aliquando autem vincit naturam, & ideo Deo ſimilem appellat Hippocrates medicum philoſophum, neq; alius poteſt ſupra naturæ vires tranſcendere, niſi qui philoſophicis documentis eſt inſtructus.

G.1. ap.12.

Non eſt tamen negandum naturam aliquando in ſuis operibus eſſe inimitabilem ſic Galenus ſanguinem ſpiritibus mixtum in arterijs, & corde eſſe ait, quod tantum exemplo ab arte ſumpto non potuit probare: quippè plurimum differunt (ait ille) naturæ opera ab his, quæ humana arte ſunt fabricata. Similiter etiam in opere generationis naturam ars nulla poteſt imitari, niſi dicamus aliquando medicum, cauſam infęcunditatis auferédo, naturę miniſtrare.

G.1.diff. feb.c.1.

Accedo ad ea, quæ principio adducta ſunt. primæ obiectioni reſpondeo, in doloribus naturam

ram cæco impetu ductam humores pluſquam par eſt ad partem dolentem tranſmittere. at medicus non imitatur naturam cum cæco impetu ducitur, ſed cum rectè operatur, iccirco Galenus, medicum naturæ miniſtrum imitatoremq; eſſe exclamat, aliquando: nempè 1.aph. 2. quaſi ſe ipſum declarans ab Hippocrate traditum nobis refert, vt medicus quæ rectè à natura fiunt imitetur, & 5.aph.32. nos opera, quæ bene à natura geruntur imitabimur. Deniq; vt ſciatis naturam fluxiones prauas molientẽ non dignam eſſe quàm imitemur, ſed potiùs corrigamus. conſulite eundem Gal. qui vos docebit animaduertendam eſſe naturæ inclinationem, & ſiquidem idonea fuerit ſubminiſtremus, & adiuuemus, ſin autem contrariè ſimul, ac noxiè fiat, prohibeamus, transferamus, diuertamus.

G.4.aph.2. 6. aph.17. 6.epid.ſec. 2.cō.51.de optim.ſec. ad Traſyb. & ſexcẽs alijs ī locis.

G.1.aph.21

Secundam ita ſoluetis. Natura, quam medicus imitatur, eſt illa eadem, quæ morborum medicatrix, ſeù medicus, ab Hippocrate, & Galeno appellatur. Nos autem in præcedente controuerſia diximus naturam ſic acceptam habere ſecum facultates quatuor miniſtrantes, quod Galenus in opere de facultatibus naturalibus ſatis amplè declarat: eſt autem natura hæc quã facultatem naturalem dicimus, pulſuum verò, & reſpirationis opera facultatib. vitali, & animali debentur. has autem medicus nō imitatur. quis enim queat aut pulſationem cordis, arteriarum vè, aut ſenſum, & arbitratrium motum imitari?

Tertiæ vt reſpondeatis, conſiderare oportet ali-

aliqua eſſe bona, vt ſignum, alia vt cauſam, alia etiam, & vt ſignum, & vt cauſam, ea quæ ſunt bona; vt ſignum nō poteſt medicus imitari. v.g. hypoſtaſis in vrina ſignum eſt materiam eſſe coctam, & eſt bona ratione ſigni, nihil enim boni præſtat, ſed ſolum aliquid boni ſignificat. Sic rigor in febre ardente nihil boni efficit, ſed ſolum ſignificat humorem bilioſum per membra ſentiētia deferri ad quem motum ſequitur alui fluxus, aut ſudor, aut vomitus bilioſus, propterea non poteſt medicus imitari; icteritia eſt bona vt ſignum, & vt cauſa, quia non ſolum ſignificat tranſmiſſionem bilis ad cutem, ſed fit ex bile tranſmiſſa, qua tranſmiſſione natura exoneratur propterea eſt ſignum, & eſt euacuatio, vt ſignum eſt non poteſt illum medicus imitari, vt autem eſt euacuatio imitabitur: nempè aliter facta bilioſæ materiæ euacuatione.

Ad vltimam, tum communem omnium naturam, tum vniuſcuiuſque propriam contemplari iubet Hippocrates: addo ego vtramq; eſſe dignam, quam imitemur. Nam dignoſcēdis morbis, vtriuſq; naturæ tàm communis, quàm particularis cognitionem neceſſariam eſſe dixit Hippocrates, ſubintelligite curandis etiam. Nam ad curationem in primis oportet naturæ communis cognitionem apprimè tenere: quis enim humana natura ignorata hominem curare poterit? cum hominum natura tribus conſtet facultatibus, animali, vitali, naturali, has medicus debet ex operationibus agnoſcere, vt ſciat

(Hipp. 1. epid. ſect. 3. in principio.)

quo-

quomodo illęſæ ſint conſeruandæ,& lapſæ reſtituendæ. Deinde accedēdum ad naturam vniuſcuiuſque particularem. Si enim huius hominis facultas animalis ſit valida, ſi inquam ille ad motiones ſit impiger, ad ſenſationes valdè acutus, quæcumque tarditas,quæcumq; hebetudo, malum eſſe oſtendit, & ad curationem impellit medicum. Quod attinet ad vitalem,ſeu iraſcibilem,ſi manſuetus fiat ferox etiam in ſtatu pręternaturali eſt. In facultate naturali peccatum etiam reſpectu naturæ particularis fiet, ſi ille qui ſuaptè natura aluum habeat fluidam, ad ſtipticitatem dilabatur. Deinde aliter curamus biliofum, aliter pituitoſum, aliter melancholicum. Itaque præter communem omnium propria cuiuſque natura agnoſcenda eſt, vt poſſimus rectè curare.

Cæterùm vtriuſque naturæ ſimul & communis, & propriæ notitia habenda eſt, non autem vnius ſine altera: tunc enim ſi cognita duntaxat communi natura accederemus ad medicandum, locum haberet reprehenſio, quæ in methodicos cadit, quoniam generalem hominem curare ſe velle videbantur. Hoc tamen mente tenendum eſt fieri non poſſe,vt particulares hominū omnium naturas cognoſcamus, imò multoties ad ignotos curandos vocamur. quare tum ex ſignis propriam ægri naturam venabimur, tum etiam ad communem naturam tamquam ad Polycleti regulam reſpicientes quantum propria ægrotantis à recto itine-

re

re ſit lapſa aſſequemur. Rurſus communis naturæ notionem nullo melius modo habebimus, quàm ex multorum ſingularium comprehenſione quaſi per inductionẽ naturæ humanę conditiones comparantes. Hoc autem nos docet Hippocrates in libello de aëre, aquis, & locis, ſiquidem vnius regionis incolas contemplari iubet, quas habeant communes omnibus diſpoſitiones.

Exercitatio de fluxu ſanguinis è naribus in febribus.

G. 1. epid. ſect. 2. com. 63.

PEculiare ardentibus febribus eſſe dixit Gal. per narium eruptiones ferè iudicari, adeo vt in tertia conſtitutione libri prim. epidem. in Thaſo quibuſcumq; abundè erupit ſanguis fuiſſe hos ſuperſtites: quibus parcè aut prorſus nihil ſtillarunt nares, ſolos hos perijſſe Hippocrates narret. Cæterum vt ex eadem narratione comprehenditur adoleſcentulis & adultis maximè propria eſt iſthæc euacuatio. Nec mirum ſi recludantur, & dirumpantur, quæ ad nares accedunt venæ: quippè ſanguis ſurſum à calore fertur, à quo non poſſunt nõ inflari, ac ſubindè reſerari ob ſpiritus efferueſcentes qui vtres & dolia rumpunt veluti cum in muſto ebulliente accumulantur. Adite acrimoniam, eſt enim in ardentib. ſanguis multa bile infectus, iccirco mordax, qui pungens narium venas eas reſerat, vnde vnum ex ſignis fluxuri ſanguinis eſt lachryma ſpontanea, quam à mordicatione fieri manifeſtum eſt, vti à cauſis externis mordi-

can-

cantibus qualem cæparum ſuccus facere ſolet.

Ex dictis etiam colligetis tam eſſe ſalubrem copioſam euacuationem quàm periculoſam deminutam. Imo quemadmodum copioſa tunc præſtantior eſt cum in die decretoria accidit, ita ſtilla ſanguinis licet ſemper praua habeatur in diebus tamen decretorijs magis praua cenſetur. Nam firmiora ſigna ſunt tum lethalia tum ſalutaria quæ vel diebus indicantibus vel iudicatorijs eduntur. In hoc tamen medici prudentia requiritur: ſi enim ex alijs ſignis debilitatem naturæ arguat tunc ex hoc ſigno multo magis perterrebitur. Siquidem & moleſtiā magnam, quæ ad expellendum excitauit & magnā reſolutionem, quę euacuationem progredi non permiſit, ſignificat. Si tamen ex vrina aliqua incipientis ſaltim coctionis ſigna habuerit, tunc vel ob ſanguinis craſſitiem, vel ob meatuum denſitatem, vel propter vtrumque ſtilatim fluere ſanguinem ſuſpicari debet, & ſatagere vt ſanguis effluat, nam ſubſtillicidium iſtud copioſiorem hæmorrhagiam pollicetur, quæ accidet maxime ſi impedimenta auferantur. Ita ſe geſſit prudentiſſimus Hippocrates, licet enim non vſus ſit quæ pertinent ad medicationem narrare, in præſente tamen non potuit ſe continere quin nobis diceret artificioſam curationem ab eo ordinatam, nempè capitis lotiones quibus & meatus aperuit & ſanguinem attenuauit.

FINIS.

Mendæ operis grauiores ità corrigantur, leuiores Lector benignus ſponte reſtituet.

Prior numerus paginam alter lineam indicat.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag. 3.	17.	noctu	Nero.
5.	30.	tamem	tamen
9.	21.	quam	qua
16.	7.	viam	via
	8.	occluſam	occluſa
17.	5.	gyptea	gypſea
20.	10.	recedat	recedet
25.	2.	experietis	experiemini
27.	2.	quàm	quem
	8.	confert	conferet
29.	4.	nonunquam	nonnunquam
30.	22.	Detectio	Refectio
31.	16.	vetuctior	vetuſtior
36.	4.	clæochroa	elæochroa
38.	14.	vetutiorem	vetuſtiorem
	15.	crimonidem	crimnodem
40.	10.	peneriora	penitiora
	30.	varijs	varij
41.	8.	effugerat	effugerit
43.	10.	dyſentiora	dyſenteria
47.	28.	plegmonem	phlegmonē
49.	2.	ex bile	& bile
50.	30.	phrenitidis	phrenitis
51.	1.	contenſum	conſenſum
	3.	phenitis	phrenitis
52.	10.	rimiſſione	remiſſione
56.	29.	hypochādrij	hypochōdrij
57.	27.	inaſſis	inanis
58.	21.	meninginbus	meningib.
60.	14.	meninginibus	meningib.
63.	4.	Reſponde	Reſpondet
66.	18.	iudicat	indicat
67.	14.	concuiſionis	cōuulſionis
69.	29.	corpus	corporis
74.	20.	progreſſo	progreſſu
77.	2.	curationem	curatione
	59.	ti.	ſi.
79.	10.	crauio	cranio
80.	15.	tinninus	tinnitus
81.	14.	teſtatum	teſtatur

82.	4.	ruinarum	vrinarum
83.	7.	poras	poros
84.	20.	ægretudinem	ægritudinem
86.	19.	ſiue ſanguine	ſine ſanguine
88.	29.	opiniones	opinionis
89.	16.	duplice	duplici
90.	13.	chrymeram	chymeram
94.	4.	acore	acorem
95.	14.	ſanguinis	ſanguini
100.	15.	epireuſin	empyreuſin
112.	12.	ægretudinem	ægritudo
132.	11.	deminutus	diminutus,
141.	29.	accipiſſe	accepiſſe
144.	29.	tertium	tertiam
145.	5.	ſingulta	ſingulto
	30.	recenſent	recenſet
157.	27.	criſino	criſim
161.	31.	demidium	dimidium
164.	7.	inquiam	inquam
	27.	terminatur	terminantur
169.	1.	conquerunt	conqueruntur
171.	29.	abortiue	abortire
	18.	exciccates	exſiccantes
174.	17.	peperint	pepererint
176.	11.	deminuta	diminuta
	15.	eſſe	eſſet
179.	28.	deminutæ	diminutæ
180.	21.	febricitantibus	febricitante
187.	14.	menſuratur	menſuratum
190.	19.	operetur	operaretur
	18.	Hydropos	Hydrops
193.	25.	poſſet	poſſit
195.	1.	præemus	præbebimus
	13.	coatam	coactam
196.	5.	Hypropem	Hydropem
199.	20.	conſtant	conſtat
204	27.	tamenſi	tametſi
206.	10.	deminuitionē	diminutionē
207.	9.	corrigi	corripi

EXPOSITIONES
In aliquos
HIPPOCRATIS ÆGROTOS,

Admodum practicabiles.

AVCTORE

STEPHANO RODERICO
Caſtrenſe Luſitano.

OLIM SERENISS. MAGNI DVCIS ETRVRIÆ
Sanitatis Conſiliario, & in Piſana Academia
Medicinam Supraordinario loco
docente.

SVPERIORVM PERMISSV.



VENETIIS, M. DC. LVI.

Apud Franciſcum Brogiollum.

Illuſtriſſimo, ac Generoſiſſimo Domino

D. MARCO DE MARTELLIS.

Senatori Florentino.

FRANCISCVS CASTRENSIS STEPHANI FILIVS F. P.

EA eſt Solis benefica in omnes natura, vt vno eodemque tempore, & ſublimia Regum palatia, & infimas ruſticorum, paſtorumque tabernas colluſtret; neq; propterea æthereæ ſuæ ſublimitati quidquam detrahat, immo maiori inde laude dignus acclametur. Ita Illuſtriſſima D. tua inſtar ipſius Solis eximiæ ſuę virtutis radijs hoc tenue quidem munuſculum, ſed ſingulare meæ erga eam obſeruantiæ monumentum, illuſtrare dignetur: præſertim cùm ſit opuſculum à Parente meo, ſuoque olim addictiſſimo cliente elaboratum. Igitur enixè oro, vt læta fronte hoc, quandocumque eſt muneris, accipere velit: dicamque cum meo Genitore.

Sint tua facta mihi, quod mea Muſa tibi.

AD ILLVSTRISS. ET NOBILISS. VIRVM

MARCVM MARTELLVM SENATOREM FLORENTINVM.

CARMEN.

Franciſci Caſtrenſis, quo ei hoc opus Stephani Roderici Caſtrenſis Patris Dicat.

LVmine ſpargebat primo Tithonia Coniux
Terras puniceis lutea vecta rotis.
Autior irriguos ſomnus laxauerat artus,
Cum viſa eſt oculis vmbra inopina meis.
Charior Elyſijs domibus quæ venerat vmbra,
Scilicet occurrit triſtis imago Patris.
Qui mihi, longa trahens ſuſpiria pectore ab imo,
Hos lacrymis mixtus fudit ab ore ſonos.
Quid iuuet innumeras noctes vigilaſse ſerenas.
Quidve dies tantos euigilaſſe iuuet?
Profuerit quid lingua bonas edocta per artes,
Profuerint mentis quid monumenta meæ?
Si tamen hæc pateris tenebris obducta iacere,
Publica per longos nec ſinis ire dies.
Proh dolor! haud verſent ſcripta expectata Nepotes,
Poſteritas tanta deſtituatur ope.
Si te tangit Amor fœtus, è faucibus Orci
Eripe, tu libros deniquè cude meos.
Vna Fluentinas inter MARTELLIA gentes
Gens micat, egregijs nobilitata Viris.
Illuſtres animas dedit hac de gente Vetuſtas,
Sæcula, & illuſtres veſtra dedere viros.

Quid

Quid referam MARCVM, nulli probitate ſecundum,
Ac Animo vigilem, Conſilioque grauem.
Quem ſibi purpureos inter Florentia Patres
Omnia delegit munia obire parem.
Si mæcenatem iactabat Romula tellus,
Iactat Flora animo largificoque ſuum.
Nate, typis chartas vrgendas, munere MARCO
Des noſtras, largas ipſe refundet opes.
Quæ ſuper ægrotis ſcripſit, præcepta, Magiſter
Cous, tot ſtudijs enucleata meis,
Huic modo fac dones; modò noſtris abnue dictis,
Vt viuam ſemper docta per ora virum
Talia fatus erat, cum chara ſimillima ventis
Conſpectu è noſtro fugit imago Patris.
Accipe iam (facilis) Genitor, quæ munera mittit,
Muneraquæ Natus reddere iuſſus auet.
Accipe parua quidem meritis: ſed munera digna,
Munere, nam gemini munera Cordis habes.

AVCTORIS ELOGIVM.

Illuſtriſſimo Domino

VALENTINO FARINOLÆ.

Sereniſs. Magni Ducis Etruriæ Auditori.

SApientiæ, ac virtutum cæterarum ſimilitudo animum tuum animo Stephani Caſtrenſis arctiſſimè agglutinauit. Tibi igitur iure meritòque imago eius dicanda. Vale.

CLarorum virorum ingenij monumenta irrequieta manu verſare vtile, mores intueri iucundum. Stephani Caſtrenſis Philoſophi, ac Medici præſtantiſſimi ſcripta mortales omnes mirantur, nec immeritò, cuius imaginem viri nunc quaſi carbone delineare animus fert. Patria ei Vlyſſipo celeberrimum Europæ totius Emporium, vbi Parentibus Franciſc. Rodriguez Caſtrenſi, & Iſabella Aluares honeſto loco natis oritur xiii. Kalendas Decemb. M.D.LXII. Glo-

riam, quam à natali ſolo naſcens acceperat, præclaris lucubrationibus eidem magno fænore, redditurus. Viuida ei mens, & amœna. In palæſtrâ litterariâ Muſis ſe primum addixit, ac multus in Poeſi fuit. Elegos, epigrammata, & heroica ſcripſit ſuauiter, acutè, grauiter, ac neruosè. Theologiæ non ignarus, Philoſophiam, ac Medicinam in Conymbricenſi nobili Academia toto pectore hauſit. Sciendi amore adeò flagrabat, vt quotidiè ſolidas viij. horas ſtudendo inſumeret. Felix qui nullam diem perdidiſſe, nullamq; ſine plurimis lineis præterijſſe, àc plus olei quam vini adhibuiſſe gloriari poterat. Mero rariſſimè, eoque optimè diluto vtebatur. Aqua ſitim crebrò reſtinguebat, atque impigrè capaces frigidæ pateras haurire, ac pleno ſe proluere cryſtallo ſolebat. In medendo virtuti eius fortuna comes fuit. Semino morborum Lynceus introſpiciebat, remedijs ditiſſimus & vberrimus, in præſagiendo euentu felix; quoad æger ſpiritum duceret nunquam deſperationi ſuccumbebat, liquidò commoſtrans, magnæ indolis eſse ſperare ſemper. Vbi enim Medicus deſpondet animum, ęgrotus triſtitia obruitur, & mens conſternata, ac velut effętis viribus, remedia pertinax auerſatur. Quo facilius omni domeſtica cura ſolutus ſapientiæ litaret, Genoeuam Figueiram ſplendi-

dis natalibus ortam, ac benenummatam duxit vxorem; vixeruntque ambo mira concordia, per mutuam charitatem inuicem ſe anteponendo. Ex ea liberos tres ſuſcepit Franciſcum nunc ſuperſtitem, Antonium, & Martinum, qui iam è vita migrarunt. At deſiderio præclariores Italiæ Vrbes perluſtrandi motus, patriam relinquere decreuit, ac poſt longum iter Florentiam cum veniſſet, florentiſſimæ Ciuitatis fama, oculis proprijs teſtibus, captus hic ſedem fixit; nec latere præclara hominis virtus diù potuit. Gerius de Spinis Senator, ac Iuriſconſultus inſignis atroci, ac penè conclamata valetudine laborabat, ſed breui huius induſtria feliciter incolumitati redditus. Facinus in præclaro viro maximam nominis famam ei comparauit. Sacerdos quidam Scalandronius vulnus alebat venis, & cœco febrium igne carpebatur; noſter Eraſiſtratus vocatus vaſculo frigidæ accepto ægroti faciem nihil tale ſuſpicantis repentè perfudit; ità natura irritata reſumptis viribus profligata febre morbum ſuperauit; hinc apparet Medicum ſolertem graues, & periculi plenas ęgritudines leuibus, & facillimis remedijs perſæpè diſcutere, Serenſſs. Coſmi II. Magni Etruriæ Ducis, qui diuturno conflictabatur morbo, valetudinem recreauit, eiuſque in itinere Lauretano comes à Sereniſs. Franciſco Ma-

ria

ria Vrbini Duce optimo ingeniorum æſtimatore, qui eum ſuper menſam audierat, commendatus eſt; quare Magnus Dux rediens publicè profeſſus eſt: Stephanus Caſtrenſis ſua virtute nobis honor fuit. Aloyſius Cardinalis Capponius in ancipiti ac diuturna valetudine viri opem expertus, ità, literis ad eum datis, eius Encomium paucis, ſed grauibus verbis abſoluit. Se numquam Medicũ ei ſimilem (per multis ob diutinam ęgritudinem vſus erat) cognouiſſe. Sereniſs. Ferdinandus Mã-tuæ Dux ancipiti morbo periclitabatur, inter diſ-ſidentes Medicos vnius Stephani Caſtrẽſis con-ſilio acquieuit. Anno 1630. ſæua lues ciuitatem Florentinam affligebat: magno publico bono Magiſtratus Sanitatis à conſilijs deligitur; ex eius ingenij fonte multa vtilia feliciter profluxerunt. Sereniſs. Ferdinandus II. M. Dux de Stephano di-cere ſolitus erat. Quoties virum hunc audio, ſem-per aliquid nouæ cognitionis acquiro. Viginti annis in Piſano Lycęo mille aureorum ſtipendio, ac Supraordinarij titulo medicinam docuit. In-gentem gloriæ ſegetẽ adeptus ſui nominis fama, Luſitaniam, & Italiã impleuit. Vulgo iactabatur, Paroemia opus eſſe ęgrotis, ſi valere cuperent, Medicum Luſitanum vocare. Ita emenſo vitæ curriculo 78. ætatis anno, die Apoſtolorum Prin-cipi ſacro, hora xx. mortalitatem expleuit; magna

cum

cum religionis laude,totius vitę noxas Patri Laurentio Cocchio Theatinorum familia confeſſus, ſpei plenus diſceſſit, Franciſco filio, amplum gloriæ Patrimonium,relinquens. Qui pius æquè, ac gratus Parentis fætus latentes in tenebris magna diligentia, ac labore conquiſitos in lucem edidit; totidem ſigna auro pretioſiora,atque ære firmiora immortalitatis in Templo Patri optimè merito ſtatuens: humatus eſt in Saluatoris Eccleſia, tota Ciuitate eius laudibus perſonante: Candorem animi, auri negligentiam,beneficam in egenos manum, ac voluntatem alij extollebant; alij ſcientiarum ſupellectilem,Medicinæ, ac Philoſophiæ theſauros in animo eius commorantes, humaniorum literarum ornamenta, ſuſpiciebant. Plerique, ammiſſo tanto viro, iacturam non vulgarem lacrimabãtur.Ita funus,veluti triumphus, perſolutum. Huius viri effigies veneranda inter illuſtrium Virorum imagines,quę in auguſtiſſima Sereniſs. Magni Etruriæ Ducis Pinacotheca aſſeruantur expoſita eſt.Diſcant omnes eius exemplo inſcitiam, ac deſidiam fugere, alijs prodeſſe, ſapientiam ſectari; nam Stephanus Caſtrenſis memoria virtutum per ora virùm volitans, vſq; ad mundi decretoriam diem ſuperſtes erit,&c.

STE-

STEPHANI RODERICI

Caſtrenſis Luſitani.

PROŒMIVM.

QVicumque arduum, & difficile Medicinæ iter ſuſcipit ſumma ſpe niti debet, vt experimento, & ratione ſimul (quæ duo ſunt eiuſdem artis crura) incedat. Simul dixi: nam ſeorſim vel Empiricum, vel methodicum faciunt: Empiricum ſola experientia, methodicum ſola ratio, vtraque dogmaticum. Porrò dogmaticorum princeps Hippocrates ſi hiſtorias, & ſingularium exempla omitteret, methodicus fieret: quippe methodici ars notitia quædam eſt communitatum, non proprietatum tanquam communem, & generalem hominem, non particularem curandum ſuſcipiat. Si ex altera parte, in ſola hiſtoria conſiſteret, empiricum imitaretur, qui, tametſi aliquid ſæpiſſimè ſimili modo conſpiciat, nullum tamen inde theorema artificio-

Gal. 8. met. c. 7.

Gal. 3. met. c. 7.

ſum

ſum conſtituit. Quid ergo? rationem quidem hiſtoriæ coniunxit. Hoc non intelligebant veteres, quos redarguit Galenus, quippe Hippocratem cum Thucydide comparabant. At Thucydides omnia ſcripſit, etiam idiotis nota, nihil ipſorum penitus prætermittens. Hippocrates verò pauca ex ijs, quæ ad totam affectionem pertinent, circa quam ægrotus eſt periclitatus, multa verò alia ab idiotis quidem neglecta artificioſam vero, & exactam cognitionem exhibentia, et quæ etiam optimos Medicos ſæpe latere poſſunt, ſcriptis mandauit. Denique Thucydides quicquid circa ægrotos contingit, velut idiota idiotis ſcripſit. Hippocratis vero, vt artifex artificibus. Vos autem ò Iuuenes, qui medicinæ ſacris initiamini, & iam philoſophiæ præceptis imbuti ad Hipocraticos fōtes acceditis, dum adhuc per vos ipſos experiri nequitis, quicquid exercitatus ratione vir, longa obſeruatione, & multorum annorum euentibus acquiſiuit, attento animo conſiderate, & vtilitatem capturi, memores mente reponite. Ego, quæ meæ ſunt partes, difficiliora explanabo, & quicquid præfari libet, paucis quibuſdam, nec inanibus quæſitis in præſentia complebo.

G.2.difficul. reſp. c.7.

PRI-

PRIMVM QVAESITVM.

Quid impulit Hippocratem, vt hiſtorias ſcriberet?

TRiplex mihi occurrit ratio, quæ ſapientiſſimum ſenem, vt hiſtorias conſcriberet, perſuaſit. Prima. quoniam (vt ipſe initio aphoriſmorum ſuorum ſcripſit) *vita breuis ars vero longa.* Porro vitæ breuitati conſulens artem longiſſimam voluit decurtare: idcirco hiſtorias cōſcripſit: *cum enim* (vt Galenus ait) *vnius hominis vita ad omnium inuentionem ſufficere nequeat, longi temporis obſeruationes hiſtoria colligit, vt eius beneficio, tamquam ex multis tot ſeculorum hominibus, vnus efficiatur eruditiſsimus,* Altera. cum artis fundamenta iaceret, inſtrumentis ad inuentionem aptis, & fide, quæ nouarum rerum inuentoribus difficulter, præſtari ſolet, opus habuit. Ratio, & experimentum, ex Galeno, inuentionis ſunt inſtrumenta, & ſimul, ex eodem, inuentorum fidem faciunt. rurſus ratio, & experimentum, vt diximus in hiſtorijs, locum habent. Meritò ergo hiſtorias eſt amplexus, & in ijs tam inuentionis inſtrumentum, quàm inuentorum fidem. Tertia. Vt, & ſuæ, & aliarum memoria melius inſeruiret, doctrinam per hiſtorias diſpoſuit, adiungens ſemper locum in quo æger decumbebat, aut eiuſdem nomen, aut parentis, aut coniugis, aut heri. Hæc autem ad reminiſcentiam non parum faciunt.

G. de ſub figur. empiric. c. 9

G. 3. meth. c. 12. de ſang. miſs. c. 3. G. 1. meth. c. 3.

SECVNDVM QVAESITVM.

Quis doctrinæ ordo in hiſtorijs ſeruetur?

G. initio Artis med. CVm triplicem ſtatuat doctrinæ ordinem, Galenus, primum, qui per reſolutionem fit, ſecundum ex compoſitione eorum, quæ per reſolutionem ſunt inuenta, tertium ex definitionis reſolutione, hunc tertium in præſente omittendum cenſeo, non quia non detur (vt inanibus argumentis nixus Roſſellus exiſtimauit) ſed quia ad præſentem rem nihil facere videtur. Nam definitiuus ordo, & ad totius compendium, & ad ſingulorum memoriam (vt Galenus eſt autor) *Roſſell.* *G. ibid.* præſtat, hæc autem duo, vt diximus, hiſtoria, ex ſe, habet. Porrò de reſolutiuo, & compoſitiuo ſiquis quærat, vtrumque reſpondebo, diuerſo tamen modo: quemadmodum, enim, eadem via eſt, quæ ab Athenis ducit ad Thebas, & à Thebis ad Athenas, ſic idem planè eſt à reſolutione ad compoſitionem, & à compoſitione ad reſolutionem procedere, Hippocrates inuentor proceſſit reſoluendo, quisquis autem addiſcit, componendo addiſcere oportet, quod vt pateat aliqua ſunt enucleanda.

Reſolutiua methodus à notione finis procedit; iccirco omnium præſtantiſſima à Galeno *Manardus, & Thomas à Veyga.* exiſtimatur. Cur ita ſit, non dixit, dixerunt tamen pro eo Manardus, & Thomas à Veyga: nempe quia reſolutio propinqua eſt cauſæ finali, quæ diuina cenſetur. Redarguit Argenterius *Argent. redarg.* inquiens, finem hic non eſſe cauſam finalem, ſed id, quod eſt vltimum, à quo incipit reſolutio.

Deci-

Decipitur tamen : nam hic non loquimur de reſolutione ; quæ eſt operis demolitio : in hac quidem verum eſt, finem ſumi pro eo, quod vltimum eſt, à quo incipit reſolutio, e. g. tectum in domus ædificatione eſt vltimo, & ; ſi quis rectè velit domum demoliri, à tecto incipiet. Loquimur de reſolutione, in ordine doctrinæ, hoc eſt, quæ mente fit : mente autem ad cauſam finalem primo loco accedimus, e.g. lignorum, laterum, calcis, & arena, ad conſtruendam domum, tamquam ad cauſam finalem, congregantur. Itaq; vera reſolutio, grecè ἀνάλυσις, licet ob vocabulorum penuriam appellari ſoleat reſolutio, tamen propriè reditus eſt vniuſcuiuſque rei ad ſua principalia. Sic mixtum reſoluimus in elementa ; ſic particulare in vniuerſalia, e. g. Socrates reſoluitur in hominem ; & in ſuam differentiam indiuiduantem, homo in animal, & rationale, ex quibus componitur.

Porrò ſimplicium rerum finis ſunt res compoſitæ, ac proinde vniuerſalium particularia ; cùmque vnumquodque reſoluatur in ea ex quibus componitur, reſolutio fiet ex particularibus in vniuerſalia. Sed quomodo? Exemplum vobis ſit, quod dici ſolet *philoſophiam peperit admiratio*. Admiratus eſt quiſpiam ſingularem euentum, cæpit cauſas rimari, & vniuerſalia theoremata componere, quibus inſtructus ; iam in multis eiuſdem naturę euentibus deſinet amplius mirari. Hinc habetis methodum reſolutiuam ; qua Hippocrates, bonorum omnium in arte medica inuentor, fuit vſus. Obſeruauit particulares caſus, & hiſtorias conſcripſit, inde commu-

nia quædam extraxit documenta, quibus alios libros impleuit.

Reſtat nunc videre quomodo addiſcentes, ex aduerſo compoſitiua vtantur methodo, methodum ne, an ordinem quis dixerit, parùm refert. Porrò methodus compoſitiua ex compoſitione conſtat eorum, quę per reſolutionem fuerunt inuenta. Pertinet ad addiſcentes. Quicquid ergo artis proceres reſoluendo inuenerunt, poſteri componendo didicerunt. Hoc Galenum non latuiſſe reor: ſiquidem aliquando opus epidemion ante aphoriſmos, & prognoſtica ſcriptura fuiſse ait: nempe inſinuans artis inuentorem à ſingularibus caſibus, qui in epidemijs narrantur, ad vniuerſalia aphoriſmorum, & prognoſticorum theoremata reſoluendo proceſſiſſe. Alibi autem opus epidemion vltimo loco poſt aphoriſmos, & prognoſtica tranſcribi iubet, & in hoc inſinuat debere addiſcentem ab vniuerſalibus theorematibus, quæ in aphoriſmis, & prognoſticis continentur, incipere, vt tandem ad particulares caſus, qui in epidemijs narrantur, deueniat: neque enim (vt Galenus ait) præcepta fidem faciunt, niſi prout ſtabiliuntur experimento. Tria tamen ſe ſe offerunt dubia, quibus reſpondere erit operæ pretium.

G. 2. dieb. decret. c. 3. — *G. 3. prognoſt. cō. 38.*

Primum Galenus expedire ait, vt exēplis tyrones exerceantur cum igitur medicinæ ſacris initiati, tyrones dicātur, ſi hi exemplis ſunt exercēdi, ab exemplis addiſcentes incipiant oportet, ac proinde reſolutiuo, non compoſitiuo ordine. At expendere oportet, qui tyrones dicantur. Non quidem rerum artis omnino ignari, quorum

G. 1 proœmio epid. & 9. meth. c. 4.

rum

rum intellectus in doctrina, ad quam accedunt, eſt adhuc veluti tabula alba, in qua nihil eſt depictum. Quemadmodum namque quantumuis aliquis per multos annos librorum lectione militiam addiſcat, ſi ad bellum accedat appellabitur tyro. Sic in Medicina arte ij, qui doctores ex libris nuncupantur, quando ad praxin ſe ſe conferant, tyrones ſunt appellandi. Exerceantur itaque exemplis tyrones, poſtquam ſcilicet documentis ſunt imbuti: quippe adhuc (ante exercitium) in tyrocinio eſſe dicuntur.

Secundum. Quoniam diximus reſolutiuam methodum à particularibus progredi ad vniuerſalia, videtur obſtare Galenus, qui ſic ait: *ab ſpecialiſſimis, quæ multa ſunt, ad primum genus componendo accedamus*. ſic ille, ſi ergo *ab ſpecialiſſimis componendo* falſum erit ab ſpecialiſſimis reſoluendo. Sed aduertite compoſitionem duplicem eſſe, alteram, quæ opponitur diuiſioni, alteram, quæ reſolutioni. Galenum autem, ibi, cum de diuiſione loqui conſtet, de ei oppoſita compoſitione agere. Igitur cum propriè diuiſio ſit totius in ſuas partes compoſitio ei oppoſita erit partium in ſuum totum, partes autem vniuerſalium ſunt particularia: ſi enim vniuerſale diuidatur, in particularia debet diuidi, & eodem iure ex particularibus debet vniuerſali compoſitione diuiſioni oppoſita, componi. At verò compoſitio, quæ opponitur reſolutioni, fit ex rebus prioribus in poſteriora, ſicut ei oppoſita reſolutio, ex poſterioribus in priora: quoniam ergo vniuerſalia ſunt priora natura particularibus, reſolutio fit in vniuerſalia, & ei

G. de placit. c. 9.

oppoſita compoſitio ex vniuerſalibus: iam enim diximus reſolutionem ſic ob penuriam vocabulorum appellari, re vera autem eſſe reditum vnicuiuſque rei ad ſua principia. Iam ergo manet ſatisfactum ſecundo dubio: quippe methodus diuiſiua, quæ ad definitiuam, cui inſeruit, refertur, eſſe aliam à reſolutiua, de qua loquitur.

Tertium. Quoniam ars imitatur naturam, ſi natura procedit à ſimplicibus ad compoſita, cur non progreditur ars eodem modo? Multiplex poteſt eſſe reſponſio. Prima imitatur quidem naturam ars, & quemadmodum natura gignit componendo, ſic ars in intellectu addiſcentium, in intellectu autem inuentorem nondum ars dici poteſt, ſed artis præludium. Altera. Ars imitatur naturam, natura autem prius corrumpit, vt poſtea generet, ſic ars prius per reſolutionem, quaſi per ignorantiæ corruptionem inuenta, poſtea in intellectu ſuos generat habitus. Tertia. Imitatur natura ars in fine, non in medijs ad finem: quapropter, ſicut naturæ eſt proprium aliquid gignere, ſic etiam artis, diuerſo tamen modo.

TERTIVM QVÆSITVM.

An in hiſtorijs Hippocraticis narrentur duntaxat morbi Epidemici?

MOrborum quidam ſunt pandemij, ſiue epidemij hoc eſt communes, alij ſporades

G. 1. acut. co. 9. ideſt ſparſi, ſunt autem ſparſi ſic appellati, quoniam, vt Galenus ait, ſparſim priuatimque

pre-

prehendunt, ægros diſcrepantes fatigantes, neque ſecundum communem modum conſtantes. Communes, autem, vel ſunt endemij, hoc eſt patrij, ſeu vernaculi, de quibus Hippocrates agit in libro de aere, aquis, & locis; vel epidemici, qui tempore aliquo, in regione aliqua abundant. Ex quibus ſi maior ægrotantium pars pereat, dicitur cum addito epidemia pernicioſa, alio nomine λοιμός hoc eſt peſtis, de peſte autem nullum peculiarem confecit librum, quoniam ex epidemijs vnum eſſe illam per libros epidemiorum demonſtrauit. Si vero maior pars euadat, ſimpliciter appellatur epidemia, quæ libris epidemiorum, ſeu de morbis vulgaribus inſcriptionem præbuit. Cùm verò in his epidemiorum libris hiſtoriæ ſint deſcriptæ, occaſio non leuis datur exiſtimandi ſolos epidemicos morbos, in hiſce hiſtorijs narrari.

Cœterùm quoniam idem Hippocrates in libello de flatibus, ex victu morbos epidemicos fieri negat, ex victu, inquam, vniuſcuiuſque particulari, rectè ſequitur, eos morbos, qui ex errore in particulari victu accidunt, eſſe ſopradicos. At in hiſce hiſtorijs morbi aliqui narrantur, qui ex particulari victu acciderunt, (ſit vobis pro exemplo multorum inſtar vnus Silenus, quem *ex laſſitudinibus, & potationibus, & exercitijs tempeſtiuis febris corripuit*) igitur, quamuis communem narret in epidemiorum libris cœli ſtatum communeſque morbos, nihilominus in hiſtorijs, nequid omitteret, ægrotos etiam commemorat ſparſim, neque ſecundum communem modum laborantes.

QVARTVM QVAESITVM.

Cur ſignorum optimus obſeruator Hippocrates ſigna ex pulſibus ferè omiſit?

G.3.criſ. c.vlt.

G.de præſag. ad Poſth.c. 12.& 1. diff.pulſ. c.2.

Hip. 2. epid.ſec. 5.

Hipp. 1. prog.28. 1. epid. num.4. H. ibid. num. 6. 7. epid. num.41.

VIdetur huic quæſito reſpondere Galenus quando ſic ait, *ſigna ex pulſibus ſumpta Hippocrates, vel quia non nouerat, vel quia non magni momenti exiſtimauit, iccirco non eſt executus*. hoc niſi rectè intelligatur, vtrumque eſt falſum. nam & nouerat, & magni momenti exiſtimauit, vtrũque vobis fiet palam. In primis idemmet Galenus fatetur alibi, Hippocratem pulſuum notitiam habuiſſe. Nec diffiteri quidem poterat: ſiquidem in Hippocraticis ſcriptis ſæpè pulſuum fit mentio. Vt quando ait, *cui venæ in cubito pulſant inſanus, & iracundus eſt*. Venarum nomine more veterum arterias intellexit, quod Galenus ſæpiſſime in memoriam reuocat. Et alibi. *Si vero pulſus in hypochondrio inſit, perturbationem ſignificat*. Et in hiſtoria filij Eratolai, *ſecundum tempora autem pulſus erat*, & iterum, *ſaltatio autem venarum circa tempora detinebat*, & in Cydis filio *in temporibus autem pulſus non defecit*, & in hiſtoria Pherecydæ *pulſus in fronte valde obſcurus*.

G.1. progn.28.

Verum dicetis Hippocratem in his ſententijs loquutum de magna, & vehemente arteriarum motione, vt, ante quàm contingatur, innoteſcat, interdum ęgro duntaxat, quandoque etiam de foris intuentibus. Hoc quidem ita eſt, & nos cum Galeno admittimus. Cęterùm ſunt alij apud eundem Hippocratem loci; ex quibus colligitur,

eum

eum non ſolum pulſationes conſpicuas, ſed inconſpicuas etiam cognouiſſe. Vt cum ait, *Venarum pulſationes, & reſpiratio ſpiritus iuxta ætatem, & conſonantiam, & diſſonantiam ſunt & morbi, & ſanitatis ſigna.* quid clarius dici poterat? pulſationes quidem, quæ ſunt ſanitatis ſigna, non ſunt conſpicuæ, & vehementes, ſed inconſpicuæ, & moderatæ, & alibi *carnes attractrices ex ventre, & extrinſecus ſignificat ſenſus: quoniam expirabile, & inſpirabile calidior venula ſanguinis multitudine exuſtum procreat, illiſque ſecernit.* Hæc omnia de attractione aeris, & expulſione fuliginum Galenus interpretatur, fit autem attractio compreſſione arteriarum, expulſio earundem dilatatione. Sic etiam verba illa, *Vrinæ excretio, flatuſque tum vnius, tum alterius partis, nutrimentique & ſpirationis.* Ibi Galenus nomine ſpirationis difflationem intelligit, difflatio autē, motu arteriarum fit, vt idem Galenus eſt autor. Similiter de pulſu arteriarum inconſpicuo intelligenda cenſeo, verba illa, *pulſus ad manum accelerantes debiles deficientes & ſtatim pereunt.* Nec minus manifeſtè alibi ſphygmicam notitiam nobis tradit inquiens, *in acutiſſimis febribus pulſus creberrimi, & maximi.* Et alibi, *Zoili fabri pulſus tremuli, & tardi.* Quid autem de Pythodoro cui *pulſus non defecit?* ſanè, licet Valleſius de pulſu conſpicuo in temporibus verba hæc intelligat, neſcio cur de inconſpicuo nequeant intelligi.

Hip. de alimēt.

H. 6. epid. ſect. 6. ī princip.

H. 6. epid. ſect. 5. tex. 4. lib. de ſalub. diæt. com. 20. & 4. loc. aff. c. 8.

Hi. li. de alim.

H. 4. epi. n. 31. 4. epid. num. 57. Valleſ.

Sed, quando iam Hippocratem pulſuum notitiam habuiſſe ſatis manet demonſtratum, remanet alia pars demonſtranda: nempe eam non parui momenti exiſtimaſſe. Non potuit

quidem parui momenti exiſtimare actionem à corde immediate dependentem, nec rurſus potuit ignorare, actionem arteriarum immediatè à facultate cordis procedere: quippe ait, *radicatio venarum iecur, radicatio arteriarium cor.* Nec ſolum magni momenti eſſe agnouit in eſſendo (vt in ſcholis loqui ſolemus) ſed etiam in ſignificando: ſi quidem ab eo eſt dictum, *qui manibus contrectauit ventrem, & venas, minus falli poteſt, quam qui non contrectauit.*

Hipp. de aliment.

Hip. 2. prog. n. 5.

Porrò dicendum, Hippocratem omnia, quæ ad artem pertinent nouiſſe, non tamen omnia accuratè tractaſse, ſed quædam inſinuata nobis reliquiſſe, forſan, accuratius tradenda, ſi vita ſuperfuiſſet, Iccirco Galenus ait, *nouit, ſed non excoluit.* Sed cur idem Galenus ait (quod initio diximus) *vel quia non nouerat, vel quia non magni momenti eſſe exiſtimauit?* hæc verba iam monui cautè eſſe intelligenda, vtpote quæ benignam recipiunt interpretationem. Agebat Galenus de ſignis futuræ criſis, inter hæc ſigna ponuntur aliqua ſumpta à pulſu, quæ Hippocrates potuit non adhuc nouiſſe, vel prorſus contempſiſse. Poterat quidem non nouiſſe: quia in primordijs artis medicæ poterat debitas pulſuum ad ſignificandam mortem inſeruire, crebritas ad ſignificandam febris acutiem, & horum duorum duntaxat mentio facta apud Hippocratem reperitur. Vlterius quid ſaperent medici tunc, cum non exacta erat differentiarum cognitio: ſigna quidem futuræ criſis expulſu venari difficillimum eſt, quod indicat Galenus, qui ad ſigna vomitus critici ab Hippocrate ſcripta, adiū-

G. 1. de differ. pulſ. c.3. & de prædict. ad poſth. c.12.

G.3.criſ. vlt.

git

git ſignum ex inæqualitate pulſus, quod ab eodem Hippocrate, vel ignoratum, vel contemptum fuiſſe ait. Signa coctionis ex vrina ſumuntur manifeſta, non autem ex pulſu. Quod ſi Galenus coctionis ſigna tum ex pulſu, tum ex vrina accipi dixit, intelligite, vrinam directè eſſe coctionis ſignificatricem, pulſum per longas ambages coctionem inſinuare: nempe contractione maiore, quam ſit dilatatio: cum enim contractione fuligines expellantur, cum rurſus fuligines magis abundent, cum materia eſt cruda; ſequitur, contractionem auctam materiæ cruditatem indicare, vnde ex minore contractione minorem cruditatem, ac ſubinde coctionis aduentum arguimus. Erant hæ differentiæ ignotæ primis medicinæ fundatoribus, quare credibile eſt, eas Hippocratem ignoraſſe. Forſitan etiam non ignorauit, ſed contempſit: cur .n. inter mille ſigna fidiſſima, qualia ſunt, quæ in prædicto loco ex Hippocrate colligit Galenus, non contemneret ſignum vnum infidũ, qualis eſt pulſus, de quo Celſus clamãs, aut, *pulſui fallaciſſimæ rei credimus.* *G.9.meth.c.5.*

Quamuis autem Hippocrates ſphygmicam partem non excoluit, hanc tamen ipſum ſequuti (vt Galenus ait) alio aliud addente, vſque ad Galeni tempora abſoluerunt, Galenus tandem pluribus libris adeo perfecte exornauit, vt nihil ſit, quod adiungi poſſit. Sunt autem hi *de pulſibus ad tyrones liber vnus; de differentijs pulſuum libri quatuor; totidem de dignotione pulſuum; totidem de cauſis pulſuum, vnus de præcognitione ex pulſibus; & ſynopſis ſexdecim ſuorum librorum de pulſibus.*

QVINTVM QVAESITVM.

Cur Hippocratis ſeculo frequentes fiebant criſes noſtro autem raræ?

DVpliciter morbi ſoluuntur, vel per ſimplicem ſolutionem, vel per criſim. Eſt autem criſis, ſiue iudicium (aliàs ætymologias non curo) ſubita, quæ in morbis mutatio fit, cuius ſpecies, ſeu differentias Galenus non ſemel colligit: nempe, quatuor *ad ſalutem*, *ad mortem*, *ad melius*, *ad deterius*. Sola, quæ ad ſalutem fit, ſimpliciter criſis appellatur, aliæ cum addito. Porrò criſim fieri dixit Galenus per manifeſtas excretiones, & in hoc differt à ſimplice ſolutione, vnde meritò reprehenditur Valleſius, qui criſim fieri ait per inſenſilem tranſpirationem. Itaque frequenter apud Hippocratem in ægrotis, qui ſanantur, euacuationem aliquam manifeſtam reperietis, & ſimul hæc verba *iudicatus eſt*. rarò autem in noſtris ægrotis ita accidere videmus.

G.3.criſ. cap.1. *G. 1. epid. ſect. 3. com. 16. & 2. aph. 13. G.3.criſ. c.2.& 2. aph. 13. Valleſ.*

Non vna duntaxat huius rei afferenda eſt ratio, ſed ad plures reſpiciendum eſſe cenſeo, ſunt autem, hæ, regio, vitæ conſuetudo, & medicorum nimia ſollicitudo. Regionis rationem habendam eſse ad prænoſcendam criſim dixit Galenus, nec eſt præter rationem. Nam regio calida humores generat irritantes, quales ſunt biliosi, qui acutorum morborum ſunt cauſæ, generat ſubinde facilè irritantes: quemadmodum, enim, mores hominum corporis temperamentum ſequuntur, ſic temperamentum, quod

G.2.criſ. c. 12. & alibi.

quod natura etiam nuncupatur, ſequitur humorum in corpore prædominantiũ conditionem: cum ergo natura ſit, quæ criſis facit, ex Galeni doctrina, vbi natura facilis eſt ad irritationẽ facilis eſt ad criſim, quã non niſi irritata molitur. Habetis ergo in regione calida morbos fieri, qui frequẽtius criſim patiuntur, hi ſunt acuti, vt Galenus fidẽ facit, habetis in eadẽ regione naturas eſſe ad irritationem, ſubinde ad criſim prõptas: colligere ergo hinc licet, regionem calidiſſimam, in qua degebat Hippocrates, vnam fuiſſe ex cauſis, quæ frequentes inducebant criſes. *G. 17. vſu par. c. 2.* *G. 3. criſ. c. 3. 2. criſ. 11.*

Altera cauſa eſt vita inordinata: quemadmodum enim ſine febre rigorem non vidit antiquitas, quia (vt refert Galenus) veteres, nec blaneis poſt cibum, nec vita otioſa vtebantur. ita etiam ob frugalitatem robore naturę valde pollebant, propterea robuſta natura facile in cauſam morbificam inſurgens, criſes moliebatur. *G. de rig. & palp. c. 7.*

Tertia, quoniam antiquitas progreſſum morborum diligenter ſpeculabatur, & occaſionem faciendi, quam præcipitem eſſe nouerat, non omittebat, ea tamen iudicij maturitate, vt ſuis medicis auxilijs naturæ concurſum non præoccuparet. Nunc autem medici, vel quia critica ſigna non contemplantur, naturæ morbum ſuperare ſatagentis curſum interrumpunt, vel quia vulgo importunè, & intempeſtiuè remedia expoſtulanti, magis quàm medicæ artis præceptis obtemperare malunt, aut quia ſcioli ſunt, & non ſinunt naturam aliquid agere. Ageret quidem illa non interpellata, ceſſat ad medici irruentem audaciam.

SEXTVM QVAESITVM.

Cur Hippocrates in ſuis hiſtorijs vix vnquam remediorum mentionem facit?

NVnquid remedia, quæ proficua eſſe poterant, inuidus celauit? abſit, vt hoc cogitemus de viro, quem Pætus diuina natura præditum acclamauit. Nunquid ægris prodeſſe noluit, & propterea remedijs nō eſt vſus? At ille (vt Galenus ait) humanitate, & benignitate hominibus medebatur. Nunquid negligētiæ attribui debet, quod facienda omiſerit? At diligētiſſimum eum vocat Galenus. Nunquid remedia, aut agendorū methodum ignorauit? At remedia quāplurima alibi ſcripta reliquit, methodi autem inuentorē fuiſſe conſtat ex Galeno. Nunquid remedia, quæ ſcriptis tradidit nullius momenti eſſe putauit, ac propterea in curatione morborū ea cōtempſit? Fallax eſſet, ſi nos falſa doceret, veritatis tamen amatorem, & veracem, probum hunc Virū quis cum Galeno non appellauit? quid ergo eſt exiſtimandum? Nempe ſapientiſſimum Senem diſtinctè voluiſſe doctrinam tradere, cūq; homines illius ſeculi longo annorū ſpatio artē medicam didiciſſent, non eis deerant tēpus ad percurrēda omnia. Poſteriore autem æuo (ita ſuadente auaritia) non dum è tyrocinio egreſſi, ad lucrādum accedunt: quapropter cupiūt cuncta promiſcuè audire, & promptius remediorum ſiluam quærunt, quàm methodum ratione, & methodo cōparatam. icci rco præpoſtero ordine in Scholis videbitis, initio artis medicæ, ante quam theoricę initientur, ad praxim cupidos accedere.

G. 9. de placit. c. 5.

ÆGRO-

ÆGROTVS PRIMVS.

P*HILISCVS propè muros habitabat, decubuit. Primo die febris acuta, ſudauit, noctem laborioſam habuit. Secundo die omnia exacerbata ſunt. veſperi ab infuſo per clyſterem adhibito benè habuit, noctem quietam. Tertio mane, & vſque ad meridiem viſus eſt à febre liber eſſe. Ad veſperam febris acuta cum ſudore, ſiticuloſus erat, lingua exſiccabatur, nigra minxit, noctem moleſtam habuit, non dormiuit, omnino delirauit. Quarto omnia exacerbata ſunt, vrinæ nigræ nox tolerabilior, vrinæ melioris coloris. Quinto circa meridiem parum de naribus ſtillauit non mixtum. Vrinæ variæ, quæ habebant innatantia quædam rotunda, genituræ ſimilia, diſperſa, non ſubſidebant. Subdita glande, flatuoſa pauca prodierunt. Noctem habuit laborioſam, ſomni parui, ſermones, deliramenta, extremitates vndique frigidæ, & non amplius recaleſcentes. Minxit nigra, dormiuit parum, ad diem voce diſtitutus eſt, frigidum ſudauit, extremitates liuidæ. circa meridiem ſexta die mortuus eſt. Huic Spiritus ad finem vſque veluti reuocanti, rarus, & magnus. Splen eleuatus eſt orbiculari gibboſitate, ſudores frigidi perpetuò, exacerbationes diebus paribus.*

In totius anni vniuerſali narratione Philiſci narrationem bis factam reperietis. Primò quando ait, quinta die habuiſſe ſtillam ſanguinis è naribus, Secundò quando die ſexto obijſſe narrat.

rat. Hæc eadem in præſente hiſtoria referuntur, quare hic, & ille vnus, & idem eſt. Eius ætatem omiſit, ſed Galenus ſenem fuiſſe ſuſpicatur: ſiquidem, ſi ætatis robore præſtans fuiſſet, ad octauum diem potuiſſet cum morbo perdurare, obijt ſexto: quoniam ætas erat non admodũ valida. Mercurialis exiſtimat fuiſſe iuuenem: nã, vt Hippocrates ait, ex acutis citius intereunt iuuenes: quippe grauius ægrotant: vnde veriſimile eſt fuiſſe iuuenem, eò maximè quòd laborauit ardente, & acuta febre, quæ fit in ætate iuuenili. Non omnino ſpernenda eſt iſthæc Mercurialis coniectura, cæterùm, quia hic morbus aliquando inducias præbuit (prębuit autem tertia die, in qua viſus fuit à febre liber, & quinta, in qua parum quieuit) potior eſt ſententia Galeni, duraturum ſcilicet per plures dies morbum fuiſſe, & ad octauum vſque peruenturum, niſi vires defeciſſent. Incipit narrationem à die decubitus, vt addiſcatis, ex qua die debet incipere criticorum ſupputatio, non à tempore laſſitudinum, hoc eſt, non à tempore neutralitatis, quippe cũ laſſitudines non ſint morbi, ſed prænunciæ morborum, corpus ſub laſſitudinibus neutrum eſt, nec adhuc morbus adeſt à cuius initio, quod eſt decumbendi hora, fit ſupputatio.

G. coniectura circa ætatem.

Hip. 3. prog. 14.

Mercur. coniectura circa ætatem.

Prima die febris acuta -- Nempè vehemens velox, continua, bilioſam poſſumus addere, & quæ, ob eximiam vehementiam prima ſtatim die talem ſe prodidit, ſed præcipue in primæ diei ſecunda parte, hoc eſt, in nocte: quippe apud medicos diei ſpatium eſt viginti quatuor horarum, qui incipit ab hora decubitus, & ſic computationis

tionis ordò progreditur. Philiſcum meridie horam decubitus habuiſse ſuſpicor: quoniam tertia die circa meridiem noua exacerbatio increuit, quinta circa meridiem parum de naribus ſtillauit, ſexta circa meridiem occubuit. Itaque grauiter meridie ægrotans, decumbere fuit coactus, grauius nocturno tempore ſe habens, cum ſudore, laborioſam tranſegit noctem. *Autoris cõiectura circa horam decubitus.*

Sudauit, laborioſam noctem habuit -- Putat Mercurialis deprauatum eſse contextum, quem ita corrigit *ſudauit laborioſam ad noctem*. Tamen ipſe in ſua verſione (in qua nihil vnquam à Cornario diſcrepat, & inutiliter ſe in translatorum numerum congeſſit) laborioſam noctem ſine controuerſia legit. Verum exigua eſt differentia: quòd enim ſudauerit, & nocte ſimul noctem laborioſam tranſegerit, idem eſt, ac laborioſè ſudaſse. Sudor, inquit, laborioſus eſt ille, qui fit prȩter tempus, cum non tollit, aut ſaltem lenit febrem, & cum difficulter fertur ab ægroto. Verùm ad hoc ſignificandum, quòd oportuit dicere laborioſè, ſatis quidem fuit, quòd dixerat prima die, in qua nulla excretio eſt vtilis, melius eſt dicere, noctem fuiſse laborioſam, hoc eſt cum prauo ſudore. *Mercur. refellitur.*

Videntur quidem rationabiliter loqui illi, qui ſudorem iſtum frigidum fuiſse inquiunt. Hoc loco monendi eſtis, vt in Hippocratis hiſtorijs ante omnia reſpiciatis ad verba in fine hiſtoriȩ appoſita: ex his nãq; cognoſcetis, quibus nã ſignis, Symptomatibuſq; maiorem fidem habuerit, inuenietis in fine huius hiſtoriæ (quod ad præſentem ſudorem cognoſcendum ſpectat) duo maxime *Admonitione ceſſaria.*

xime

xime neceſſaria. Primum tumorem lienis ſignificantem huius viſceris inflammationem, ob quam calor ad interna reuocabatur, & hæc poterat eſſe frigidi ſudoris cauſa, deinde aliud, quod addit, ſudores perpetuò fuiſſe frigidos: Si perpetuo, ergo à prima die.

Sudor in afflictione qualis.

Quod ſi calidos adhuc prima die fuiſſe vultis, ne per expulſionem factos fuiſſe credatis, ſed per expreſſionem factam à violenta afflictione: ſolent quippe ob hanc cauſam, qui in angore ſunt, etiam ſani ob paſſiones animi ſudare. Itaque ſudor iſte in nocte laborioſa erat laboris ſoboles, ſeu effectus, non verò cauſa, ita vt hæc ſit differentia in loquendi modo. Qui dixerit, ſudauit laborioſe, ſignificabit, laborioſum ſudorem fuiſſe cauſam laborioſæ noctis: qui verò dixerit ſudauit, & addiderit laborioſam fuiſſe noctem, iudicabit ex labore noctis ortum fuiſſe ſudorem.

Hipp. 4. aph. 37.

Porrò ſudores iſti, ſi frigidi erant, cum acuta eſſet febris, erant lethales, proinde poterat medicus ſtatim prima die mortem prædicere. Ex aphoriſmo *frigidi ſudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiore longitudinem morbi ſignificant*. Si vero calidi erant, & ſimul cum morbo apparuerunt, erant parui. Sic in coacis *Sudor, qui cum febre incidit, malus*. Denique cum ſudor ſuo tempore adueniens decretorius ſit, extra tempus, ſeu potius ante tempus, damnatur: cupit iccirco Hippocrates, ne ſtatim decretoria appareant.

Secunda die -- Primus impetus fuit vehemens, debuerat ſecunda die natura à pugna aliquantulum conquieſcere. Tantum abeſt. vt quieuerit, quin

quin potius omnia fuerunt exacerbata. Iam ergo ſi per tertium debent fieri exacerbationes, maior exacerbatio, quæ reſpondebit exacerbationi ſecundæ diei, fiet quarta die, & ſubinde morbus exacerbabitur per pares, & hanc etiam poterat medicus de ægrotantis rebus malè ſperare, nam ſic vel ſexta, vel octaua die acutiſſimus morbus iudicandus erat, harum vtraque ad bonam criſim eſt inepta.

Verum in vltima diei parte ab infuſo per clyſterem benè habuit. Mercurialis profuiſſe exiſtimat clyſterem, & hanc morbi mitigationem clyſteri acceptam refert. Sed quid potuit clyſter fæces extrahens ab inteſtinis, humores intra venas, quæ ſunt iuxta cor, praua putredine infectos mitigare? Profectò, nō quia clyſter fuit iniectus, benè habuit, ſed quia benè habuit, clyſter fuit iniectus. Hoc eſt in hora quietis, quando exacerbatio cæpit miteſcere, occaſionem arripuit Hippocrates inijciendi clyſterem, quem in vehemētia paroxyſmi, regulariter nō inijcere conuenit, regulariter, inquam: nam coactè, ſi videlicet intolerabilia accidant tormina, aut aliud quidpiam, quod præceps minetur periculū, nulla habita exacerbationis cura, ad remedia confugimus. Hic obiter cauete à Mercuriali, qui ait ſemper optimum eſſe clyſteres inijcere in hora veſpertina. Hippocrates clyſterē veſpere inijecit, quia tunc aderat declinatio, alioquin ſi exacerbationis ratio liberum relinqueret medici arbitrium, eligēdum eſſet matutinum tempus, quod magis eſt ad omnia aptum; tunc enim æger apparet à nocturno ſomno aliquantulū recreatus,

Mercur. refellitur.

Mercur. damnatur.

ſolis

ſolis etiam exortus aerem attemperans ægrotum iuuat. Præterea, ſi ex clyſtere, vel quouis medicamento perturbatio adſit, melius, & toleratur, & ſedatur tempore diurno, quam nocturno, in quo, & quietis amiſſio eſt grauior, & quælibet afflictio moleſtior. Dixit ergo Hippocrates, veſpere ab iniecto clyſtere melius habuit, hoc eſt, melius habuit poſt iniectum clyſterem, non quòd clyſter fuerit cauſa, cur melius habuit. ſed æger, qui cæperat quieſcere, & ideo illi fuit clyſter iniectus, poſtea etiam per aliquot horas melius habere perſeuerauit.

Tertio die -- Vſque ad meridiem, quæ erat hora reuerſionis, viſus fuit à febre liber, viſus, inquam fuit, medicis imperitis, aut adſtantibus idiotis, non autem ſapientiſſimo Hippocrati, qui *Hipp. 2. aph. 27.* ſuæ ipſius doctrinæ memor, ijs, quę præter rationem eueniunt, non eſſe credendum cognoſcebat. Erat omnino præter rationem, vt febris ardens malignitatis ſigna indubitata præſeferens, tertia die, nullis præcedentibus coctionis ſignis, nulla euacuatione alicuius momenti celebrata, liber à febre fieret.

Cæterum interrogabitis. nonne poterat præcedere euacuatio ab arte facta? poterat quidem, ſed non quæ febrem omnino tolleret. Potuit Hippocrates prima, aut ſecunda die, propter incendium febrile ad ventilandam, aut etiam minorem reddendam materiam, quæ intra vaſa putreſcens erat, & multò magis ad reuellendum à parte affecta, ſanguinem mittere, purgans autem pharmacum in tanta caloris vehementia, poſt ſudorem, poſt noctem laborioſam, ne-

qua-

quaquam exhibere. Cæterum in hac tertiæ diei parte, videlicet matutino tempore, quoniam nox præceſſit admodum quieta, & quies adhuc perſeuerabat, conueniens fuit occaſionem arripere, pharmacum exhibendi, quod forſitan Hippocrates præſtitit, ſed id non narrat, quoniam à remediorum narratione ſolet abſtinere, id alibi magis commodum fore ratus.

Ad veſperam febris acuta cum ſudore -- Redijt ad ſuam acutiem, tertia die poſt meridiem (ſic enim intelligitur illud veſpere, quod Montanus non intellexit, cumque inueniſſet in nonnullis codicibus *ſub crepuſculo*, exiſtimauit, eſſe crepuſculum matutinum, quod ſequebatur poſt tertiã diem. Sed in græco codice eſt προσδείλην, nempe à meridie) tunc igitur cæpit febris acuta quidem valde, ſed quæ primæ diei reſponderet, licèt multa habuerit, praua ſymptomata, quę prima dies non habuit. Verùm hæc pergentis in deterius morbi ſigna erant, nempe præter ſudorem, qui prima die adfuit, ſitis, quæ antea non ita valida corripuerat, & hoc familiare eſt omnibus ferè febribus, vt primis adhuc diebus humiditas non ſit conſumpta, propterea non datur ſitiendi occaſio. Porrò contingit in vniuerſalibus totius morbi temporibus idem, quòd in particularibus. Inuadit acceſſio ſine ſiti, quoniam tunc diſtillatur humiditas, deinde ad augmentum, & ſtatum vſque calor fit maior, & ex maiori calore ventriculus exſiccatur, palatum fit aridum, æger de ſiti conquæritur. Ita etiam in vniuerſali principio, non exhauſta adhuc humiditate, imò verò liquefacta, nulla adeſt ſitis, pro-

Montanus non recipitur.

C greſ-

greſſu temporis, & ſitis, & linguæ ariditas propter durationem caloris fiunt, & hoc eſt, quod Hippocrates appellauit ſuperius hoc libro, ſitim non intempeſtiuam, hoc eſt, quæ tunc acceſſit cum par erat accidere.

Hic tamen animaduertere debetis, ſitim hãc, quæ tertia die apparuit, fuiſſe ſolito maiorem, & ſecum habentem linguæ ariditatem, nihilominus prima ſtatim die (licet Hippocrates id non expreſſerit) ſitim adfuiſſe. Nam febris erat ardens, quæ patognomonica ſigna habet ſitim, & calorem. pathognomonica autem ſigna ab aſſidentibus in eo differunt, quòd illa ſemper ſimul cum morbo inuadunt, hæc autem non ſemper. Fuit ergo ſitis ſtatim à principio: quoniam ſtatim a principio fuit febris ardens, ſed ſitis, quam tertia die ſuperueniſse narrat, magnitudinem ſignificat.

Quid ergo potuit ſitis aucta, cum linguæ ariditate, tertio die ſuperueniens, ſignificare? nempe internam inflammationem (inflammationis nomine abſceſsum à quocumque humore ebulliente intelligo) cuius nam viſceris erat inflammatio? tactu percipiebatur in ſiniſtro hypochódrio, in quo reſidet lien. Erat, propter aduſtionem, ſitis, & propter eandem, linguæ ariditas, ſeu aſperitas, imo propter nigras fuligines, nigram etiam fuiſse linguã, mihi perſuadeo. Sed Hippocrates nihil de nigredine. Ita eſt, ſatis fuit dixiſse aridam, vt adiungere nobis liceat, & nigram. Præterea, iuxta eiuſdem Hippocratis doctrinã, lingua lotium ſignificat; iccirco eodem modo debuit eſse, & lingua, & lotium, ſi lotium dicit fuiſse

Hip. 6. epid. ſect. 5. text. 14.

fuiſſe nigrum, quid ni etiam nigra erit lingua? Atri humoris, & peſſimi multitudo redundabat ex inflammato liene, propterea quod lien munere ſuo retinendi atram bilem, & eam per ſuos canales effundendi, non fungebatur.

Vnde nam nigredo in vrina? num ex atri humoris redundantia, an ex incendio, an ex frigiditate? vnaquæque ex his cauſis ſua ſigna habet. Redundare melancholicũ ſuccũ cognoſcimus ex liene, propter inflãmationẽ impedito; incẽdiũ, ex inflãmatione; frigiditatẽ, ex caloris extinctione, quã ſudores frigidi poterant ſignificare. Ego neq; adhuc frigiditatẽ eo proceſſiſſe arbitror, vt vrinas denigraret, quas prius ſaltẽ liuidas fuiſſe oportebat (nam hic eſt gradus ad nigredinem ex frigore) neq; etiam prius virides fuerant, aut æruginoſæ, aut aliũ colorem, qui ad nigredinem factam ex calore ducat, habentes. Quare cũ manifeſta fuiſſet cauſa, nempe lienis inflammatio, & ex inflammatione colliquatio, ob quam atra bilis, vltra quam par eſt, aucta, & aduſta vrinas potuerit tingere, non eſt, cur aliò recurramus. Erat autem peſſimum ſignum ſerum atræ bilis, humoris ſcilicet pernicioſi, per venas ſero ſanguinis eſſe permixtum, & tale per vrinas excerni, pręcipuè cum morbus tunc inciperet: quippe *morbis quibuslibet incipientibus ſi atrabilis ſurſum, aut deorſum eruperit lethale.* *H. 4. aph. 22.*

Triplex cauſa quare vrinæ nigræ fuerunt prauæ.

Erant prauæ vrinæ, tum quia in principio: nec enim poſſumus dicere fuiſſe iudicatorias, & per eas corpus ab atro humore manſiſſe expurgatum, præcipuè cum Hippocrates non dicat, fuiſſe multas, nec craſſas; tum quia cum

lienis inflammatione fiebant, vnde oriebatur liquefacti illius viſceris ſuſpicio: Eſt namq; lienis ſubſtantia nigra, cuius liquefactio nigra etiam ſit oportet. Tum denique quoniam non erat ſolum ſedimentum nigrum, ſed ipſamet vrinæ fuſio, quod multum quidem refert: etenim authore Galeno peſſima eſt tota vrina denigrata, adeò vt neminem vnquam ſeruatum viderit ex ijs, qui talem vrinam minxerunt. Minus verò pernicioſa, ſi ſolum id, quod ſubſidet nigrum fuerit, atque adhuc minus, ſi ſolum id, quod in medio iacet, ac multo minus etiam, ſi nebula.

G.1.criſ. c.12.

Quoniam Hippocrates tertia die, & quarta, & quintæ diei nocte vrinarum nigrarum mentionem fecit, exiſtimat Montanus, tertia die vrinā ſola hypoſthaſi nigrā fuiſſe, inualeſcente autē malo, quarta die fuiſſe & hypoſthaſin, & vrinam nigrā propter valde magnū incendiū. Sed quinta diei nocte nigredinē vrinæ, ex caloris innati extinctione, prodijſſe. hanc ſuā conſideratione ampulloſis verbis extollit, quæ tamen conſideratio inanis quidē eſt. Nā ſolet Hippocrates ſingulorū dierum vrinas cōmemorare, vt, ſi quid varient in melius, aut deterius, aut perſeuerent in malitia, cognoſcamus. Iccirco quarta die vrinas, ait, fuiſſe melioris coloris, quinta autē varias, quæ noctu ad ſolitā ingredinē redierūt. Si verò ex vniuſcuiuſq; diei repetitionib. argumentū variationis cauſarū conficiendū eſt, nullus eſt æger, in quo iſta variatio non contingat. Præterea nō eſt credibile, ex vna die in alterā, ſolo interdicto vnius noctis ſpatio, vnum, & eundem vrinarum colorem contrarias omnino, habuiſſe cauſas.

Montanus reijcitur.

No-

Noctem moleſtam -- Iactationibus, doloribus, anxietudinibus nox fit moleſta, moleſtior autem apparet propter ſomni priuationem : nam eo tempore dormire ſolemus, & tum quies, tum tenebrę ad ſomnum inuitant, quòd ſi eo tempore vigilia adſit, intollerabilis eſt. Aderat autem tum moleſtia, hoc eſt anxietas, tum vigilia: quia bilioſus humor, & anxietudinem in ventriculo, & vigiliarum in cerebro, vellicando, & pungendo cauſa erat.

Omnino delirauit -- Quoniam (vt in fine narrationis addit) Spiritus toto morbo fuit rarus, & magnus, de quo ibi fuſius agemus: nunc pro hypoteſi habere oportet, hanc reſpirationem occupatæ mentis ſignũ eſſe. Itaq; hactenus obliuioſus erat, & tardè ad interrogata, diminutèq; reſpondebat, erant hæc futuræ phreneſeos rudimenta. Sed vndenam id colligo? tum ex eò quòd ſemper reſpirationem raram, & magnam habuit, tum ex eo quòd nunc addit *omnino delirauit*. Conſidero illud *omnino*, quaſi dicat prius mẽtis conceptus turbulenti erant, non tamen ſermone exprimebantur. Iam nunc delirium omnino manifeſtum apparuit, nempe in ſermonibus, & actionibus. Tres ſunt delirantium gradus. primus quando æger errores mente concipit, quos tamen adhuc rationis fræno gubernat, ſecundus quando eos voce exprimit, tertio quando opere complet quicquid prius cogitauit. Hoc etiam ſanis euenire dicimus. Prius quidam odio infectus vindictam mente concipit, deinde dicit velle ſe vindictam ſumere, tandem recurrit ad arma. Itaque cum dicat *om-*

nino delirauit inſinuat, prius fuiſſe ταρακῶδες, hoc eſt perturbatum, ſiue apprehēſum delirio, quod in prorrheticis ἀσαφῶδες, ideſt obſcurum appellatur: quia vix non ſolùm ab ignaris, ſed à medicis etiam cognoſcatur: à medicis, inquam, vulgaribus, qui ſolos phreneticos eſſe putant, quos exclamare, vel exhibere vident, vt medicus quidam, qui cum Galeno contendebat, aſſeuerans ægrum ſic inſanientem, neq; perniciosè habere, neq; phreneticum eſſe. Videndus eſt Galenus in citato prorrhetico, qui ægrum in delirio obſcuro conſtitutum eleganter deſcribit.

Gal. 1. prorrh. ſect. 1. com. 33.

Cur peius eſt deliriũ in vigilia, quã in ſomno.

Cæterum delirare vigilantes maius malum eſt, quàm ſi dormientes: nam per ſomnum, præ mentis impotentia, facilis eſt lapſus in mentis alienationem, quod multis ſanorum eſt familiare, ſcilicet per ſomnum loqui. At vigilantibus, quando ratio eſt libera, ſi ea à recto deuiet itinere, longè maiorem facultatum rectricum ſignificat lapſum. Opponet tamen aliquis ex aphoriſmo *vbi ſomnus laborem facit mortale*, & ex alio *vbi ſomnus delirium ſedat bonum*. Si ergo ſomnus, qui eſt aptus labores, & præcipuè delirium ſedare, non ſedat, ſed excitat, videtur magnum eſſe malum, quo maius eſſe nequit, nempe mortale, & longè minus, ſi vigilans deliret. Aduertite in delirio duo eſse conſideranda, cauſam, & ſubiectum; cauſam appello vapores, inflammationem, ſaltem phlogoſim, ſpirituum turbolentiam. Subiectum autem, ſenſus internos. Quod attinet ad cauſam, ea poteſt per ſomnum mitigari, nempe coctione, humectatione, ſpirituum quiete, refectioneq; quòd ſi ſomnus

H. 2. aph. 1. 2. aph. 2.

nus hoc non efficiat, ſed pro coctione, diffuſionem faciat, pro humectatione, bilioſorum vaporum augmentum, pro ſpirituum quiete, ac reſtauratione, eorundem agitationem, & diſsolutionem, pernicioſa res eſt, tum ratione ſigni, tum ratione cauſæ. Et tunc videbitis ægrotantes è ſomno expergefactos, magis quam prius deliros permanere. Quòd verò ſpectat ad ſubiectum, nempe ad ſenſus internos, quorum læſio delirium eſt, multò facilius in ſomno patiuntur, quoniam tunc, quodammodo ligati, non poſsūt cauſis reſiſtere, attamen cum æger expergiſcitur, ſi ſomnus fuit bonus, nulla eſt ex parte ſenſuum repugnantia, ſed patiens ſtatim reſipiſcit, Quoniam igitur Philiſcus (vt ad rem noſtram reuertamur.) non dormierit, & omnino delirauerit, ſignum eſt, delirium non fuiſse ob ſenſuum impotentiam, ſed ob vaporum multitudinem, ſi vero noctu dormiens deliraſſet, & vigilans reſipiſceret exiguum erat malum, ad ſolam ſenſuum impotentiam reducendum. Hinc eſt quòd ſomnia turbulenta, magis futuri delirij ſigna, quàm delirium, appellantur.

Quarto die-- Quia tertio grauiter ægrotauit, & quarto grauius, ſignum erat ægrotum in interitum velociter pergere. Præterea, quia exacerbatio quarti exacerbationi ſecundi reſpondebat, morbus per pares mouebatur, & in die pari (vt diximus) expectanda erat criſis, in die autem pari ex ijs, qui proximè futuri erant; neq; enim morbus adeo acutus in multos dies produci poterat. Erant vrinæ adhuc nigræ, quia cauſa ob quam tales fiebant, hoc eſt internum

incendium,& lienis inflammatio,permanebant. Nox iſtius quarti reſpondere debuit nocti ſecundi, proinde fuiſse dicit tolerabiliorem. Non fuit tamen ita tolerabilis, vt nox ſecundæ diei: quippe morbus ingraueſcebat, fuit tamen tolerabilior,quam nox præterita.

Vrinæ melioris coloris -- Cum adhuc dies quarta duraret, erat enim quartæ diei initium meridie, & durabat per viginti quatuor horas, nocturna quies, & melior vrinarum color poterãt medico imponere,vt futuram ſalutem prædiceret. Verum in mea *Sỹtaxi prædictionum medicarum* medicum admoneo, *vt tardus ſit in prædicendo:* nam melior vrinarum color non ſufficit, debet etiam apparere aliquod ſequeſtrationis ſignum,nempe aut nebula,aut appendiculum. Deinde color fuit melior, non vero ſimpliciter bonus. Tandem,licet ſimul cum colore fuiſsent aliqua coctionis rudimenta, coctio inter bona requiſita vnum habere debet,vt ſcilicet perſeueret. Quapropter non ſtatim prædicere oportet, ſed expectare donec ſigna ſint firma. Potuit autem vrina in illa nocte colorem mutare, quoniam atra bilis fuerat per vrinas eiecta, & alia denuò non dum ad eam quantitatem peruenerat, quæ poſset omnino nigro colore tingere, nec propterea exiſtimandum erat, cauſam nigredinis, hoc eſt incendium, fuiſse mitigatam, quod poſtea apparuit ex vrinarum mutationibus in diebus ſequentibus.

Quinto circa meridiem -- Reuertebatur ſemper natura ad pugnam hora meridiana,in qua febris incæperat. Verùm natura ad pugnam erat coa-

cta,

 cta, & impotens, coactam dignoſco, quia ante coctionem euacũare tentauit, impotentem, quoniam initio ſtatim deſtitit. Has incipientes, & non progredientes euacuationes adeò Galenus damnat, vt deteriora eſse dicat ijs, quæ nullo pacto apparent, ſi vbi incæperint, ceſſent: contingit enim interdum, coquentem adhuc contriſtantia naturam nondum ad horum expulſionem excitari: in illis verò, quæ cæperunt quidem, ſed protinus deſierunt, apparet veluti excitatio quædam, conante natura excernere, quæ moleſta ſunt, atque ob imbecillitatem, quod propoſuerat, perficere nequeunte.

Gal. 1. prorr. ſect. 1. com. 1.

Num ob ſolam debilitatem ſanguinis ſtilla fit? Galenus, præter hanc cauſam, duas alias adducit, ſanguinis ſcilicet craſſitiem, & partium denſitatem, vel quædam ex his, vel propter omnium concurſum. Propterea exiſtimat ab Hippocrate dictum, in acutis morbis, quæ in æſtate, & autumno fit ſanguinis ſtillatio, robur, multamque in venis inflammationem ſignificare, per robur denſitatem intelligit. Quoniam ergo æſtate, & autumno benè fluentem ſanguinem eſse oportet, tum ob redundantiam flauæ bilis, tum ob ambientis eo tempore caliditatem, magnitudo quædam cauſæ indicatur, propter quam fluere inhibetur, hanc robur eſse Hippocrates, hoc eſt denſitatem, ait.

G. 4. acut. 67.

Verùm mihi videntur febres ardentes, tam hyeme, quam æſtate ſanguinem ſupponere bilioſum, & efficere tenuem, & vtroque tempore idem eſse malum. Vtrum vero ſemper ſtilla ſanguinis in morbis acutis prauum ſit ſignum, in

hi-

hiſtoria Metonis examinabimus. Sufficiat nunc ſcire in Philiſco perincioſam fuiſſe, tum ob alias cauſas, tum quia ſanguinis erat merus, ſeu impermixtus. Merum interpretatur Galenus atrum, ſeu nigrum: nam puri ſanguinis excretio non eſt in lethali morbo viſa vnquam. Sed quid oportet huius vocabuli ſignificationem innouare, ſi eo Hippocrates, non ſolum in ſanguine, ſed in alijs etiam humoribus vtitur, meros appellans eos, qui ſuo ſero priuantur? cum namq; vnicuique humori ſuus debeatur ichor, tunc merum humorem appellat, cum ſine ichore eſt. Stilla itaque ſanguinis meri, eſt, ac ſi dicatis, ſanguinis ſine ſuo ſero. prauum autem eſt ſignum ſynceritas; quia fit ab incendio aquoſitatem conſumente. Quòd ſi quis pro Galeno dixerit, ſanguinem ſine ſero ſaturatum habere colorem, ſi autem ſero diluatur, albidiorem, non repugnabo. Erat igitur ſtilla, hoc eſt euacuatio diminuta, ſeu duntaxat incipiens, ſignificans, & moleſtiam, & debilitatem naturæ; erat ſanguinis meri, hoc eſt, ſine ſuo ichore, indicans vehementiſſimum incendium; erat quinta die quando, videlicet, morbus qui mouebatur per pares, debuerat quieſcere potius, quam euacuationibus perturbari, quid non habebat hæc euacuatio, quòd mali ominis non eſſet.

Vrinæ variæ-- Poſſumus vrinas varias appellare eas, quæ verſicolores ſunt, poſſumus etiam varias dicere, hoc eſt, inconſtantes, ſignificareque magnos naturæ conatus, ita vt interdum vinceret, interdum vinceretur. Cœterum in ſpatio temporis adeo exiguo, non potuit hæc va-

varietas conſiderari: nam poſt meridiem varias vrinas conſpexit, quæ ſtatim noctu ad ſolitam nigredinem redierunt. Iccirco magis placet varias appellare variegatas, ſeu verſicolores. Comparantur fæcibus verſicoloribus, quas Hippocrates dixit nigras eſſe diuturniores, ſed valde lethales. *Hip. 2. progn. 23.*

Dicetis tamen. Si vrinæ verſicolores veluti fæces, diuturnitatem ſignificant, cur eas habuit Philiſcus, qui breuiter, hoc eſt, ſexta die eſt mortuus? ſcire expedit ſententiam Hippocratis diſtinctiuè eſſe intelligendam; videlicet, vel ſignificant diuturnitatem, vel mortem, diuturnitatem cum viribus validiſſimis: quippe ad varios humores expugnādos, multo tempore eſt opus, & (vt inquit Galenus) qui cum multis pugnat inimicis, multum temporis conſumat oportet; mortem verò cum infirmis viribus: hæ enim multorum ſimul infeſtantium hoſtium labores ſuſtinere nequeunt.

Iterum interrogabitis, cur ſignum in vrina, diuerſos humores atteſtabatur, cum tamen ſola bilis prædominans ex alijs ſignis cognoſceretur? Reſpondeo, bilem duntaxat multorum humorū vices ſubire, tum propter eius eterogeneitatem, tum propter inæqualitatem caloris in eam agētis: quippe vna pars magis, quam alia aduritur, ideo ex pallida fit flaua, ex flaua rufa, ex rufa vitellina, deinde & porracea, & æruginoſa.

Talis erat vrinæ color, contenta vero æneoremata, ſeu innatantia, ſiue appendicula (ſic .n. appellantur, quæ in medio innatant, ſicut nubes, aut nubeculæ, quæ in ſumma ſuperficie ap-

parent,

parent, hypoſtaſes, vel ſedimenta, quæ in fundo reſident) erant geniture ſimilia: hoc autem contentum, quod genituram, ſeu ſperma refert dicitur γονώδης, eſt vero album, granuloſum, & nonnunquam etiam dicitur ὑαλοειδὴς hoc eſt vitreum. Conuulſiones per excretionem huiuſcemodi æneorematis ſanantur, vt autor coacarum ſcriptum reliquit. Et in Perintho, vt narratur 6. epidemion, criticè excernebatur: quoniam crudus humor, & vitreus, qui in morbis pituitoſis abundat, ſic euacuatur. In acutis autem, qualis Philiſci febris, quæ à pituita longè aberat, pernicioſiſſimum fuit ſignum: quippe, quando non fit à pituita, fit à partium ſolidarum colliquamento: humor enim tertia coctione confectus, qui ſolidas partes nutrit, albus eſt, craſſus, & ſubiecto cum ſemine idem.

6. epid. ſect. 2. tex. 37.

Erat etiam hoc æneorema rotundum, videlicet ex materia non fluida; quippe fluida figuram nullam ſeruant, & ab opifice calore, qui ſpiſſando, & cogendo rotunditatem efficit. Rotunditas enim, ex Galeno, ex materia fit viſcoſa, & ex efficiente calore. Materia iam nutritura, ac proinde conſiſtentiam habens à calore, à quo liquatur, cum non poſſit ſat bene liquari, in rotunditatem abit.

G. 6. epid. ſect. 3. com. 36.

Verum ſi rotunditas fit à calore cogente, cur ait Hippocrates æneorema fuiſſe diſperſum? Erat diſperſum, quo ad materiam, glomeratum, quo ad figuram: etenim glomerati, & diuulſi æneorematis materia eadem eſse poteſt: quæ enim in hepate, liene, & renibus partim aſſantur, liquantur, partim fiunt diuulſę, & fruſtu-

latim

latim conciſæ exhauſto humore, à quo inter ſe continebantur, ſed ſemper à calore in orbem aguntur. Erat denique innatans, nec ſubſidebat, quoniam à flatibus attollebatur.

Subdita glande -- Cum nullam hactenus deiectionis mentionem fecerit, niſi eius, quæ ſecunda die ab infuſo clyſtere ſequuta fuit, pro hypotheſi tenendum eſt, aluum huic fuiſſe aſtrictam, quod in internis inflammationibus euenire ſolet, ſugente humiditatem fæcum calore, vnde fæces induratæ, difficilem habent exitum. Icciroò aluum mouere voluit, nec auſus fuit, alio vti auxilio, quàm glande ſuppoſitoria; quæcumque fuerit ſiue lenis, ſiue acrior, parum refert. Vſus fuit eo conſilio, quod nobis ſcriptum reliquit, nempe ſi virtus valida fuerit clyſtere vtendum eſſe, ſi adſit imbecillitas glande. Attamen nihil hac via eſt conſequutus: quippe inteſtina pauca quædam, & flatuoſa reddiderunt. Pauca, quia tam leui inſtrumento natura debilis non potuit adiuuari, & fæcum renitentia non potuit ſuperari; flatuoſa, quoniam calor naturalis diminutus, & præter naturalis auctus, in materia adhuc cruda, flatus excitant: neque vero ita bilis abundabat, quin aliquid crudorum excrementorum, ſaltem in prima regione, non aceruaretur. Obiter hic animaduertite, ægrum quinta hac die ad deſperationis terminum fuiſſe deductum: ſiquidem exigua remedia non proficiebant, magna non tolerabantur. *H. 1. acut. text. 45.*

Noctem habuit laborioſam -- Quintæ huius diei nox, nocti tertiæ diei reſpondere debuerat, & in hac nocte par erat, vt morbus inducias

præ-

præberet, & æger aliquantulum quieſceret. Verumtamen adeo increuerat ægritudo, vt labor labori videretur adiungi, & nox, quæ minus praua eſſe debuerat, fuit reliquis antecedentibus deterior, vt ventura dies, hoc eſt, ſexta, quintam hanc prauiſſimam in prauitate ſuperans, nihil aliud attulerit niſi mortem. Dixit itaque quintam fuiſſe laborioſam; quaſi hoc generico vocabulo omnes labores compræhendantur. Idcirco *parui ſomni*, quoniam dormitare incipiens, à violentia ſymptomatum irrequietus excitabatur. *ſermones*, nempe continuæ querimoniæ, verùm non conſtantes, propterea ad ſermones addit *deliramenta*. Tandem, quod extremum fuit malum, extremitates frigidæ, quæ propter virtutis inopiam, non recaleſcebant: non enim erat expulſio, qua calor rurſus ad partes refrigeratas mitteretur. Vrinæ ſolitam nigredinem receperant.

Dormiuit parum ad diem, voce deſtitutus -- Hic quadrat aphoriſmus *vbi ſomnus laborem facit, lethale*. Æger, ex nocturno labore defatigatus, matutino tempore ſomnum ſuſcepit, ſomnus, quantumuis breuiſſimus, aliquantulum debuerat labores ſedare, tantum abfuit, vt ſedaret, quin potius auxit: ſiquidem ex ſomno expergefactus, manſit aphoniacus, non quia ex loquacitate in taciturnitatem incidit; nam voce deſtitutus aliquid eſt maius, quàm ob muteſcentia. Si vero huius aphonię cauſam inquiratis, nullam inuenietis in muſculis reſpiratorijs; neque enim huius affectus hactenus mentio eſt facta. Sed poteſt ne ſine inſtrumentorum vocis vitio vox de-

H. 2. aphor. 1.

deperdi? Poteſt. nimirum, ſi vel cerebrum ſit affectum, vt contingit in eiuſdem ſphacelo, aut percuſſione, vel quia membra reſpirationi inſeruientia, ob debilitatem omnimodam, non poſſunt moueri motione, quæ aerem formandæ voci neceſſarium, atrahat. Solent moribundi exiguam vocem emittere, quia iam paucum aerem atrahunt. Ideo centurio cognouit in Chriſto Domino diuinitatem, quia clamans voce magna expirauit. Philiſcus erat iam adeo morti proximus, vt paucæ illi ſupereſſent vitæ horæ: quippe hoc fuit mane, ille autem meridie obijt.

Aderat ante mortem frigidus ſudor, & liuor partium extremarum. Cæterum cum in fine hiſtoriæ apponat Hippocrates, illum per totum morbum frigidum ſudorem habuiſſe, cur nunc, iuxta mortem, peculiarem ſudoris frigidi mentionem facit? Videlicet, quia, propter mortem, erat extremè frigidus, quod atteſtatur extremitatum liuor, quippe liuor morticinium quoddam eſt, & penitus extincti caloris ſignum.

Circa meridiem ſexta die mortuus eſt -- Inuaſionis febrilis hora meridiana erat, æger tamen in extremo languore conſtitutus, inuaſionis impetum non potuit tolerare, ſed victus ceſſit. Huic quatuor notatu digna toto morbo fuerunt, quæ in fine recenſet autor. Primum ſpiritus, veluti reuocanti, rarus, & magnus; ſecundum ſplen eleuatus orbiculari gibboſitate; tertium ſudores frigidi perpetuò; quartum exacerbationes diebus paribus. Retulit quæ ſingulis diebus contingebant, nunc in fine addit quæ fuerunt perpetua.

Re-

Reſpiratio magna quidem fuit, quoniam rara, rara autem, quoniam æger mente erat turbatus. Dixi magnam, quoniam erat rara, quippe Galenus actiones iſtorum, quemadmodum per multum temporis fieri, ait, ſic etiam & magnas. Obliuiſcuntur v. g. mingere, aut bibere, aut reſpirare, poſtea vna vice vltra menſuram mingunt, aut bibunt, aut reſpirant: quod enim ſæpè debito tempore facere oportebat, id ipſum aceruatim, vrgente neceſſitate, explere coguntur, pręſertim vbi neceſſarium id ſit ad vitã. Dixi præterea raram fuiſse, quia mens laborabat, & hoc quidem merito: nam vbi deeſt ratio, menſura tum agendi, tum quieſcendi deperditur, raritas autem fit propter maiores quietes, quàm oportet. Qui igitur mente vacillant, animum ſimulachris occupatum habentes, actiones animales negligunt. Naturales quidem facultates (vt benè Galenus ibidem notauit) ſemper neceſſarijs ſibi actionibus incumbunt, nunquam torpent, aut negligentes ſunt: quæ verò è voluntatis libertate procedunt, vbi facultas in quibuſdam fuerit occupata, alias contemnit. Sic celeriter ambulantes, ſi cogitatione aliqua irretimur, multum à priore concitato gradu remittimus, donec poſtea recordantes, velociùs iterum viam ſuſcipimus. Id quod ſanis, ſed mente occupatis contingit, contingere ſimiliter ſolet, ſi mens ex morbo laboret, adeo vt ad vrinam reddendam, aut aluum deijciendam, non niſi admoniti accedant. Propterea Galenus, Philiſcum habuiſſe, ait, ſpritum magnum, & rarum, veluti reuocato, hoc eſt veluti

G. 1. de diffic. reſpir. c. 2.

luti admonito ad reſpirandum, quod idem eſt ac ſi diceret, fuiſſe magnum, & rarum ex magnis interuallis. Alij reuocationem intelligunt inæqualitatem reſpirationis, cum videlicet ſpiritus intus reuocatur; vt in plorantibus pueris conſpicimus, quibus in medijs lachrymis, & quærelis, ingeminat reſpiratio. Fit hoc in ægrotis propter imbecillitatem, non aliter ac ſenibus ambulantibus contingit, qui præ debilitate ceſpitant.

Alterum, quod Hippocrates notauit Philiſcum per totum morbum habuiſse, eſt tumor in liene orbiculari gibboſitate eleuatus. Erat lien tumidus, ſi enim fuiſſent tumidi duntaxat muſculi, tumor magis in longitudinem, quam in globulum fuiſſet deductus; erat magnus: quippe oculis, aut ſaltem tactu percipiebatur, quod non cuilibet tumori, ſed ſolum magno conuenit. Erat inſuper inflammatio: nam cum liene tumido, & indurato diuturnus fuit morbus, non autem acutus, vt hic fuit.

Interrogabitis, an febris fuerit accidens tumoris, vti febris ex bubone. Reſpondet Valleſius, non fuiſse accidens: quoniam in excrementis aderant putredinis ſigna, quaſi verò febres, quæ ſymptomata appellantur, omnes ſint ephemeræ, at meminiſse debuerat ab Hippocrate dictum *ex bubone febres omnes ortæ malæ, præter ephemeras*. Profectò cum per totum morbum, hoc eſt, à principio morbi lienis tumor viſus fuerit, dicendum eſt, hanc febrem in eo ſenſu dici accidens, in quo Veteres appellabant febrē pleurticam eam, quæ cum pleiuritide fit, peripneumoniacam, quæ cum peripneumonia, hepa-

ticam, quæ cum hepatis inflammatione, phræneticam, quæ cum phrenitide, diceturque iſta ſplenitica, quia erat cum inflammatione, ſplenis. Hæ enim febres licet non ſint verè ſymptomata, vt veteres arbitratos fuiſſe ſuſpicor, quos Galenus repræhendit, nihilominus ſymptomatis vicem gerunt, quatenus alterius morbi, velut vmbra quædam, ſunt, & hoc non tollit quominus veri morbi ſint, hoc eſt affectus præter naturam lædentes ſenſibiliter, per ſe operationes. Dixit optimè Dinus, febrem ſemper eſſe morbum, ſed reſpectu cogitationis noſtræ, vt ad operationem dirigamur, ſymptoma dici poſſe: nam dum ſcimus, febrem eſſe ſymptoma, ſcimus, non omninò ad illam dirigendam eſſe cogitationem, ſed ſimul ad morbum, ex quo pendet. Sic in Philiſco, ſanguis quidem ſi detraheretur ex brachio, debebat extrahi ex brachio ſiniſtro, reſpectu habito ad inflammationem ſiniſtri lateris. Si febris potum frigidæ expoſtularet, non erat exhibenda frigida propter internam inflammationem, & alia ſimilia.

Gal. de diff. mor. hor. c. 5.

Tertium huic morbo perpetuum fuit ſudor frigidus, ſignum lethale, dicente Hippocrate *frigidi ſudores cum acuta quidem febre mortem*, ſed cur febre acuta, ſubinde calidiſſima detentum corpus frigidum ſudat? An quia ſudor frigidus frigiditatis externæ eſt comes, denſatur vapor iuxta cutem, cum autem cutis ſit frigida, ſudorem ibi detentum frigidum eſſe oportet. Si igitur externa frigebant, diceretur hæc febris lipyria, in qua externa frigent interiora vruntur.

Verùm quoniam Hippocrates non dicit toto

morbo

morbo fuiſſe extrema frigida, dicit tamen toto morbo fuiſſe ſudorem frigidum, alia quærenda eſt ratio, & confugiendum ad caloris naturalis extinctionem: quippe ob defectum naturalis caloris vapores in aquam concreſcentes, non habent à quo incaleſcant, propterea remanent frigidi. Addite ex caloris febrilis præſentia fieri antiperiſtaſin, quo pacto in æſtate aquæ ſunt frigidiores, quam hyeme. Erat hæc febris helodes, ſeu typhodes, ſic febres, quas continuus comitatur ſudor, Græci appellant.

Quartum, quod annotauit, eſt exacerbationes fuiſse diebus paribus, quod pollicebatur iudicationem die pari futuram, cumque ex morbi violentia, iudicatio debuit præſto fieri, non alia inter dies pares potuit eſſe, niſi aut quarta, aut ſexta, aut octaua, quartam euaſit, quia morbus aliquantulum quieuit: tertia enim die viſus fuit à febre liber, ad octauam peruenire non potuit, reliquum erat vt ſexta moreretur. Et ita contigit.

ÆGROTVS SECVNDVS.

SILENVS habitabat in Platamone, prope filios Eualcidis. Hunc ex laſſitudinibus, & potationibus, ac exercitijs intempeſtiuis febris corripuit. Cœpit autem ægrotare ex lumbis, & caput grauitas tenebat, & colli diſtentio erat. Ab aluo, prima die, bilioſa, mera, ſpumoſa, abunde colorata, multa prodierunt. Vrinæ nigræ nigram ſubſidentiam habentes: ſiticuloſus, lingua reſiccata, nocte nihil dormiuit. Secunda die febris acuta, ſeceſſus plures, tenuiores, ſpumoſi. Vrinæ nigræ, nox moleſta, parum delirauit. Tertia omnia exacerbata ſunt, præcordij diſtentio vtrinque oblonga ad vmbellicum ſubmollis. ſeceſſus tenues, ſubnigri. vrinæ turbatæ ſubnigræ. Nocte nihil dormiuit, ſermones multi, riſus, cantus, continere ſe non patuit. Quarta per eadem. Quinta ſeceſſus bilioſi meri, læues, pingues. Vrinæ tenues, pellucidæ, parum reſipiſcebat. Sexta circa caput parum ſudauit. Extremitates frigidæ, liuidæ. iactatio multa: ab aluo nihil prodijt. Vrinæ ſuppreſſæ ſunt, febris acuta ſeptima die voce deſtitutus eſt. Extremitates non amplius recaleſcebant: nihil minxit. Octaua ſudauit frigidum per totum ſudorem: papulæ cum ſudore, rubræ, rotundæ, paruæ, velut vari permanebant, non abſedebant. Ab aluo verò cum parua irritatione, ſtercora tenuia velut inconcocta, multa prodibant cum dolore. Vrinam reddebat cum dolore mordacem. Extremitates parum recaleſcebant. Somni tenues, ſoporoſi. Vox intercepta. vrinæ tenues, pel-

pellucidæ. Nona per eadem. Decima potum non ſuſcipiebat. Soporoſus erat, ſomni autem tenues. Ab aluo ſimilia. Minxit aceruatim ſubcraſſum depoſitum ſubſidens: ſubſidentia craſſæ farinæ ſimilis, alba. Extremitates rurſus frigidæ. Vndecima mortus eſt. Ab initio huic, & ad finem vſque ſpiritus magnus rarus: præcordiÿ palpitatio aſſidua. Aetas erat circa annos viginti.

Non eſt iſte Silenus cuius meminit in vniuerſali conſtitutione: nam ille, veluti Philiſcus, ſtillam ſanguinis è naribus habuit,& ſexta die obijt, in hoc, nec ſtillæ ſanguinis fit mentio, nec mors niſi vndecima accidit,propterea alius quid fuit: nomen enim Sileni Græcis familiariſſimum, frequentiſſimum erat. Multa huic acciderunt,quæ etiam Philiſco, aliqua tamen diuerſa, vt lumborum dolor, & capitis grauitas, alui fluxus, præcordij diſtentio ad vmbilicum ſub mollis, papulæ rubræ,inclinatio ad ſomnum,exacerbationes diebus imparibus, & alia.

Narrat prius cauſas procatarcticas, hoc eſt, antecedentes externas manifeſtas, à quibus ęgrotauit, eę fuerunt laſſitudines, potationes, exercitia intempeſtiua: quamuis autem cauſæ iſtæ nihil, quod curationi vſui ſit, edoceant, teſte Galeno, nihilominus ad cognitionem plurimùm facere idemmet ſcriptum reliquit in libro localium, propterea eas conſiderari iubet, paſſim, ab Hippocrate edoctus. Fuerunt autem cauſæ primitiuæ, quæ Silenum in febrem incidere fecerunt, in primis *laſſitudines*, aliqui vertunt *labores*, cauſam ſcilicet pro effectu accipientes: quippe labor cauſa eſt defatigationis; niſi defa-

G. 4. meth. 3.

G. 2. de cõp. med. ſec. loc. cap. 1.

tigatio ſit ſpontanea. At iſta Sileni non videtur fuiſſe ſpontanea: tum quia Hippocrates non ſimpliciter dixiſſet laſſitudines, ſed cum addito, vt ſolet, ſpontaneas: tum quia hæ Sileni laſſitudines recenſentur inter cauſas externas, laſſitudines autem ſpontaneæ externis cauſis opponuntur: quippe idem eſt dicere laſſitudinem ſpontaneam, ac ſi dicamus laſſitudinem, quæ non fit à cauſa externa, ſed interna.

Fuerunt præterea *potationes*, ſcilicet vini. Dubitat Mercurialis quomodo potuerit vinum febrem, affectum videlicet calidum excitare; cum tamen vinum ex ſententia Galeni frigidorum affectuum ſit cauſa: Reſpondet ſibimet, potationes non fuiſse ſolas, ſed ſimul cum laſſitudinibus, & exercitationibus. Verum quoniam hæc reſponſio non videbatur ſatisfacere, aliam adiũgit, nempe, vinum moderatum calorem naturalem fouere, immoderatum morbos excitare calidos, immoderatiſſimum frigidos, vt pote quod calorem naturalem extinguit. Verum iſta trimembris diuiſio nullibi apud Galenum reperitur, qui vinum moderatum comparat oleo flammam fouenti, vinum immoderatum oleo ſuperfluo flammam ſuffocanti. Deinde vinum immoderatum, quod excitat morbos calidos, vt calorem præter naturalem excitat, ſic minuit naturalem, ſi vero ad caloris naturalis extinctionem procedatis, ad interitum deuenietis: neque enim dicimus fieri catarrhos & alios morbos frigidos propter caloris naturalis extinctionem, ſed propter eiuſdem diminutionem. Valleſius ex potationibus cruditates, ex labo-

G. 3. de tẽp. c. 2. l. de cauſ. morb. c. 3.

laboribus, & exercitijs bilioſos humores excitatos, exiſtimat fuiſſe cauſam, cur Silenus morbo compoſito laborauit: erant enim alia ſymptomata bilem, alia pituitam atteſtantia. bilem, excrementa bilioſa, quæ prima ſtatim die prodierunt, pituitam, ſudores frigidi, & ſomnolentia. Confirmat etiam hanc ſententiam vniuerſalis conſtitutio: quippe ea propter temporis inconſtantiam, & bilioſos, & pituitoſos affectus graſſatos fuiſſe. Hippocrates narrauit.

Mihi quidem videtur ex vini potu poſse corpus prætermodum incaleſcere, & febrem excitare, ſic Galenus inter cauſas febris ebrietatem reponit. Nam potus vini, velut etiam aliæ cauſę calefacientes, poſſunt facilè febrem ephemeram excitare, quæ in corpore prauis humoribus referto, degenerat in putridam, vt Galenus etiam fatetur. Cæterum ex ebrietate morbos frigidos ortum habere dicimus, nempe ex ebrietate aſſidua: quoniam potandi conſuetudo, quemadmodum etiam lurconandi, calorem naturalem, vt congeries lignorum ignem, opprimit. Et quis dubitat, homines gulæ deditos in hydropem tractu temporis incidere? quamuis autem, & hydrops ex morbis acutis fiat, teſte Hippocrate in prognoſticis, & catarrhi ex intemperie cerebri calida, & alij multi morbi frigidi ex calore, cum hoc fiat per accidens, non tollit, vt calor per ſe calidos efficiat morbos. Ex vino itaq; calido, calidus fit morbus per ſe, ex eiuſdem vini per aſſuefactionem potatione, morbi frigidi per accidens. Potuit Silenus febre ardente corripi ex immoderato vini potu, in vna cęna poſſunt &

G. 1. dif. fer. feb. c. 2.

G. 8. meth. c. 7.

Hip. 1. progn. 1.

potatores,longo potandi vſu,in epilepſias,paralyſes, & reliquos morbos frigidos, à Galeno commemoratos,labi, poſſunt & ad apoplexiam diſponi, vnde aphoniacum ebrium febre ſuperueniente iuuari, dixit Hippocrates: quia ſcilicet à materia frigida, genita ob ſuffocationem caloris, aphonia,quam etiam apoplexiam dicere poſſumus, ortum habet. Itaque ſi cauſas, quæ per accidens agunt, conſideremus, poſſunt etiam è contrario morbi calidi fieri à cauſa frigida e. g. quando humor craſſus pituitoſus, obſerrans meatus, & caloris ventilationem impediens inflammationes internas v. g. pleuritides excitat. ideo in hyeme Hippocrates pleuritides, peripneumoniaſque fieri dixit, non alia de cauſa niſi ob meatuum conſtipationem.

H. 5. aph. 5.

H. 3. aph. 23.

Tertia cauſa fuerunt intempeſtiuæ exercitationes, profectò idem de exercitio, quod de vino ſolet dici, poſſumus affirmare, quid enim exercitio in tempore, & mẽſura facto ſalubrius? quid rurſus, ſi intempeſtiuè fiat nocentius? ſanitatis ſtudium,inquit diuinus Hippocrates,non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores, labores, inquam, tempeſtiuè factos(laboris nomine exercitium intelligite) quos idem, quo tempore conueniant, demonſtrat, inquiens, *labores cibos præcedant*, & rurſus *labor, cibus, ſomnus, venus omnia mediocria*, innuens ſcilicet, quo ordine his vti oporteat, & laborem, ſiue exercitationem ante cibum conuenire, quod ſi præpoſterè fiat, hoc eſt, à cibo, intempeſtiuè factum dicetur. Dicitur etiam exercitium intem-

H. 6. epid. ſect. 4. text. 22.

pe-

peſtiuum ratione temporis, quo durare debet: neque omnibus vna, & eadem conuenit norma. Calidis omninò exercitium interdicit Hippocrates. Senib. non quidem vehemens exercitatio, ſed nec penitus quies conuenit, vt Galenus vult. Præterea alia hyemis, alia eſtatis eſt exercitatio. Silenus nec tempus, nec modum in exercitio obſeruans calorem præter naturam concepit, & ſubinde febrem. Vnaquæque ex his potuit febrem excitare, omnes ſimul concurrentes, longè melius. *H. 6. epid. ſec. 4. te 15. G. 5. ſanit. tuend. c. 3.*

Potuit ne ex cauſis iſtis externis febris primò eſſe ephimera, quæ poſtea ob corporis apparatum, in putridam degenerauit? Mercurialis negat: quoniam Hippocrates dixit *ignis corripuit*, & per ignem non niſi acuta febris intelligitur. Mihi aliter videtur: nam febris ephemera, licet non ſit periculoſa, nihilominus ob ſpirituum, in quibus accenditur, tenuitatem ingentem ſecum habet flammam, non tamen valde mordacem, nihil autem prohibet hanc intra paucas horas abire in putridam, nec in hoc eſt immorandum, vtpote quod nec ad præſagiendum, nec ad curandum quicquam facit. *Sicut Eraſin. accidit infra ægrot. 8.*

Corripuit eum ignis, hoc eſt, ardentiſſima febris non πυρέτος, ſed πῦρ quam comitabantur lumborum dolor, capitis grauitas, colli tenſio, & diarrhæa billioſa. Erat quidem affectus phlegmonoſus, nempe ex plenitudine, & cacochymia compoſitus. Plenitudo indicabatur dolore lumborum, colli tenſione, capitis grauitate: quippe vena caua aſcendens, & per lumbos, & ceruicem ad caput, ceruicalibus ſurculis, ſan-

guinem tranſmittens, adeò plena erat, vt dolores in his partibus, grauitatemq; efficeret. Cacochymia alui fluxu biſioſo' ſignificatur: erat namque accenſi, ſubinde praui,humoris index. Vt ex conditionibus, quas Hippocrates narrat, fit manifeſtum.

Ab aluo prima die -- In primis,quod prima die hæc deiectio incæperit,praua cenſenda eſt:nihil enim tunc excernitur naturæ ratione, ſed ſunt omnia hæc caſus præternaturam earum, quæ in
G.4.aph. 22. corpore ſunt diſpoſitionum,vt Galenus ait. Deinde quia erat bilioſa: ſiquidem bilis ab excalfacto ſanguine fit, vnde bilioſi excrementi copia, copiam excedentis caloris demonſtrabat. Tertio quia mera, quippe (vt Galenus in por-
G.2.porrh.23. rheticis ait)non ſolum vomitiones ſyncerę(quas Hippocrates ibi,& in prognoſticis damnat¿malæ ſunt,verùm quoque & deiectiones,& ſputa,& vrinæ,& quiduis aliud. Nec vos deterreat idem,
G.3.ep. qui in commento hiſtoriæ, qui in Dealcis horto iacebat inquit *proprium vbi colorem quiſq; humor, & formam retineat ſynceram, ibi eum dicimus merum edi*, non inquam vos deterreat, nam ſyncerum pluribus dicitur modis.

Erant præterea,quæ Silenus deijciebat *ſpumo-*
Gal. I. prorrh. com. 2. *ſa*,quæ ebullitionem ſignificabãt: quamuis enim Galenus ſpumam, tum propter frigiditatem, tum propter caliditatem fieri dicat, cuius rei ſignum affert tum ventos in aquis ſpumam concitantes, tum efferueſcentem eam, quæ in lebete eſt caliditatem, nihilominus frigiditas ſpumam non concitat: nam venti, non quia frigidi ſunt, ſed quia maris aquam agitant, eam ſpumeſcere

fa-

faciunt: Vnde melius idem, aut agitationem humidi propter ſpiritum flatuo ſum contentum, aut ebullitionem à calore factam, ſpumæ cauſam ſtatuit. Vt autem omnes cauſæ ad vnam reducantur, (quod quidem, quoties fieri poteſt, ſemper ex arte eſt) ſiue ſit agitatio in aqueo, & aereo, vt in mari furioſis ventis agitato, & in alliſione vndarum ad ſcopulos, ſiue ſit ebullitio facta à calore, vt in lebete aqua pleno, & in ligno viridi cum comburitur, proxima cauſa eſt attenuatio partium humidi aquoſi, quæ dum in vapores conuerſa egreſſum per craſſiorem ſubſtantiam quærit, detinetur à ſubſtantia illa craſſiore, ſuam integritatem retinere conante, & detenta frangitur in parres minimas. quod ſi ſubſtantia illa ſit facile cedens, vt eſt acqua, facile exitum præbet, & cito ſpuma deſinit. Si ſit viſcoſa, & difficilius cedat, diutius vapores remoratur, & propterea ſpuma diutius durat. Itaq; bilioſa materia in corpore febriente aliquas partes attenuat, quæ exitum parant, & detinentur, ita ebulliunt, & ſpumeſcunt, & merito ſpuma dicitur ignei caloris ſoboles. *G.2.progn. 20. & 7. aph.30.& 2. aph. 43.*

Hinc intelligetis ſententiam quãdam Hippocratis, ſiue autoris prorrheticon quicunque ille fuit *deiectiones ſpumoſæ, ſynceræque deſinentes morbum exacerbant*, dixit *deſinentes*, hoc eſt, in morbi progreſſu, ſeu tractu temporis. dixit *morbum exacerbant*, hoc eſt, morbi exacerbationem ſignificant. quod in hunc modum explico. Maiores bullæ in principio excitantur, quia tunc maior adeſt copia vaporum exitum ſibi parãtium, deinde tractu temporis, deficientibus vaporibus *1. prorr. ſect. 2. tex.15.*

minui-

minuitur ſpuma. Si igitur tractu temporis, cum ſpuma debuit minui, tunc denuo apparet, ſignũ eſt exacerbationis, ſeu potius nouæ ebullitionis. Itaq; ſpumoſa deiectio ſemper eſt malum ſignũ, quia igneum calorem ebullitionis autorem ſignificat, longè deterior in fine, quia tunc ceſſare debuerat ebullitio, & tãtum abeſt, vt ceſſet, quin potius denuò apparet. In Sileno fuit in principio, & incendium magnum ſignificauit.

Erant præterea *abundè colorata* ſignum aduſtionis, ſed cum dixiſſet ſyncera, viſus fuit dixiſſe abundè colorata, neque erat cur hoc adiungeret. Verum addidit, abundè colorata, vt declaret, quomodo ſyncera eſſent: nam ſi fuiſſent bilioſa ſyncera primo modo, hoc eſt ex bile, nullo altero humore permixta, potuiſſent eſſe flaua, & ſuo ſero diluta, cum ergo addat benè colorata, indicat, ſe loquutum de ſynceritate ob exhauſtum ichorem.

Erant etiam multa, quæ multitudinem materiæ, magnitudinemq; ardoris materiam accumulantis ſignificabant. Nonne erat bonum, multas eſſe: ſi quidem euacuationes diminutæ damnatur? Multitudo in euacuationibus ſymptomaticis magis afferre poteſt difficilem tolerantiã, quam conferentiam, neque enim hæc eſt ex his, quæ ab incendio liberant. Hoc eleganter ſcripſit Galenus in hunc modum, *in febribus admodum acutis, nihil mirum ſi pura bilis in corpore producitur, ſiquidem, & adeps, & caro tenera, ac paulo ante concreta, ſub huiuſmodi febrib. tabeſcit, & ſanguis aduritur, concurrere autem hæc ad aluum, & inteſtina, cum tabent proprium eſt, vbi tantum neruoſæ partes*

G. lib.2. de artic- co.23.

labo-

laborant cum ipſis enim vitiatur, læditurque os ventriculi, quod maximè neruoſum eſt, &c.

Billioſa porrò excrementa bene colorata, & ſpumoſa, ſiue excernantur, ſiue retineantur, peſſima ſunt. Retenta acerbiſſimos gignunt dolores, incendium fouent, anxietudines excitant, à quibus, neq; excretione liberantur, ac præterea exeuntia partes, per quas tranſeunt, exulcerant: crebram exſurgendi neceſſitatem iniungunt, vnde ſomni interruptio, defatigatio, virium languor. Quod ſi flaua bilis æſtu fluctuet in ventriculi tunicis, nec exitum habeat, tunc nauſea, & anxietudo creſcit, vehemens illius partis æſtus moleſtat, fitque cardiogmos, & cardialgia, & aliquando etiam ſyncope.

Tandem, quod vltimo loco circa hanc bilioſam diarrhæam aduertendum ſe offert, eſt, eam cæpiſſe præcedentibus lumborum doloribus. Lumbos appellant medici interſtitium, quod eſt inter os ſacrum, & dorſum quinque vertebris comprehenſum, cui multæ adhærent partes, quarum aliæ continent, vt muſculi ſpinæ, & ſpina ipſa, aliæ continentur, vt nerui, renes, vena caua, inteſtina, meſenterium. Cum igitur inteſtina inter lumborum partes comprehendantur, facilè fuit humorem, qui in lumbis detentus, dolores excitabat, per inteſtina exitum ſuſcepiſſe, & hoc prauum eſt ex prorrhetico, *In bilioſis, ſynceriſque deiectionibus ſpumoſa efflorescentia mala, tum aliàs, tum ei, qui lumbis ante doluerit, atque eiuſmodi deiectiones inteſtina permearint*. Et hoc quidem merito eſt dictum: ſiquidem bilis ſua mordacitate, & acrimonia effecit, vt 1. prorr.

ad

ad inteſtina è lumbis permearit.

Verùm dicet aliquis, ſi ſpumoſa erat deiectio, cur erat à lumbis, non autem à capite? Etenim
H.7. aph. 30. Hippocratis ſententia hæc eſt, *quibus in alui profluuijs excrementa ſpumoſa ſunt, his ex capite defluit.* Aduertere oportet, Hippocratem in aphoriſmo loqui de deiectione ſpumoſa pituitoſa, & hanc à capite fluxam eſſe credidit. Deinde hanc ſententiam vniuerſaliter acceptam non recipi à Galeno: ſiquidem, & à vaſis in ventriculum exonerantur, & ab ipſo ventriculo poſſunt ſpumoſa educi. Ego quidem mihi perſuadeo, in quacunq; corporis parte poſſe feruentiſſimam bilem ebullitione ſpumas concitare, nec Hippocratem aliter ſentire, ſed ſolum voluit pituitoſos fluxus, ſi ſpumoſi ſint, à capite deſcendere: quippe in pituita non fit ebullitio ab igneo calore, vt in bile, ſed fit à flatu, qui agitatione concitatur, agitatio autem contingit in longo itinere à capite ad inteſtina.

Exiſtimabit tamen aliquis, pituitoſas etiam deiectiones in acutis febribus fieri ſpumoſas, ex ſententia autoris prorrheticon, quæ ſic habet.
1. porr. ſect. 2. tex. 18. *In acutis bilioſis, albicantes, ſpumoſæ, & picrocholæ deiectiones malæ*, quibus verbis videtur inſinuari albicantes deiectiones, hoc eſt pituitoſas, fieri ſpumoſas in acutis febribus, quod non fieret, niſi pituita concepto ardore ebulliret. Videtur igitur, etiam pituitoſum excrementum, ebullitione facta à calore, ſpumeſcere. Verum non ita eſt: nam calor, qui ſpumas ebullitione concitat, ſi pituitam arriperet, eam omnino in alium hnmorem permutaret. Prædicta autem

tem ſententia Galeno videtur ſuſpecta, aut ſaltem correctione digna: quippe ſi albicans eſt materia, quomodo ſimul picrochola, hoc eſt bilioſa? Putat ergo, vel legendum adiecta negatione *non picrochola*, vel omittenda dictione *picrochola*, vel intelligendum vno tempore *albicantia* alio *picrochola*, vel ſi tempore vno ſcerni vtraque quis aſſerere voluerit, albicantia quidem tum conſtantium, tum duorum excrementorum colorem indicabunt. picrochola vero ea, quæ circa ipſa ſunt, bilem ſubſtantia tenuem habere: conſueuerunt autem tales excretiones περικρόυς, ideſt circiter coloratas appellare.

Atque hæc de diagnoſi, & prognoſi diarhææ, quæ ſimul cum febre Silenum inoaſit, quam ego, non fuiſſe accidens conſequens ad febrem, neq; febrem fuiſſe iſtius diarrheæ accidẽs, ſed vtrumque ab vno tertio exiſtimo. Nam quoniam, ob præteritæ vitæ errores, multam biiem coaceruauit, huius pars quædam intra venas ebulliens, ardentem, hoc eſt tertianam continuam excitauit, pars altera, ad inteſtina transfuſa, ventris fluxum effecit. Miror tamen, non tranſijſſe diarrhæam hanc in dyſenteriam, mordicante, & vlcerante inteſtina bile præ nimia acrimonia.

Vrinæ nigræ nigram ſubdentiam habentes -- Omnia hæc: nempe vrinę, & ſedimenti nigredo, ſitis, linguæ ariditas, & peruigilium, ſtatim in principio ſigna erant magni incendij in humore bilioſo, prius, ob vitæ errores accumulato: ſitis & & peruigilium, & ſiccitas à caliditate ſunt: ſitis exhauſto humore in ore ventriculi, quod malum

lin-

linguæ cõtinuatur, quia eadẽ eſt tunica, quæ linguam, & quæ ventriculum veſtit; nempe ventriculum interius, exterius vero linguam, peruigilium, quoniam ex humore aduſto vapores ad caput eleuati, mordacitatis participes erant.

Secunda die febris acuta -- Non quòd prima die non fuerit acuta, ſed quòd ſecũda apparuit acutior. Multoties Hippocrates in prognoſticis ait *in morbis acutis*, ſed cur ita, ſi in prognoſticis ſolum de morbis acutis agit? nempe, quando addit *in acutis*, intelligit *in acutioribus*. Perſeuerauit hac ſecunda die vrinæ nigredo, creuit alui fluxus, cuius materia facta fuit tenuior, apparuit de nouo principium delirij. Seceſſus fuerunt plures, & tenuiores. poſſumus dicere fuiſſe plures, quia tenuiores: erant tenuiores, concurrentibus è venoſo genere in ventrem, & inteſtina, fuſis, liquatiſque humoribus, & ideo plures erant, plures, inquam, tum quantitate, tum numero, quantitas confluxu liquatæ materiæ augebatur, numerus, ob frequentiam deijciendi, frequentia, ob materiæ acrimoniam, acrimonia à calore liquante, vt Hippocrates voluit. Si quæratis, cur materia tenuis non exibat potius per vrinam, cum tamen Galenus in colliquationibus, id quod tenue eſt, à renibus trahi, & per vrinam excerni, dixerit? An quia seceſſus iſti tenuiores quidem erant, quàm reliqui præcedentes, non tamen adhuc adeo liquidi, vt à renibus traherentur? An quia natura alui fluxu aſſueta, & valde perturbata, non potuit aliam viam quærere, quam ſi ſuſcepiſſet, optimum foret, multis namque ex tempeſtate contigit

Hip. de vict. acut. tex. 112.

Gal. 3. ſympt. cauſ. c. 2.

ſana-

ſanari à dyſenterijs, ob ſuperuenientem ſtranguriosum vrinæ confluxum, quod Hippocrates narrauit.

Nox fuit moleſta, inſomnis, cum aliquo delirio. Peruigilium, & delirium biliosi humoris ad caput raptum ſignificabat, ſimul autem deiectiones augeri, naturam valde moleſtari, ſignum erat: quippe ſurſum, & deorſum duobus contrarijs motibus agitabatur.

Tertia omnia exacerbata ſunt -- Reſpondebant per impares exacerbationes, & hoc, vt diximus, melius erat, quàm per pares. cæterum, vnum tamen exiguum bonum inter multa magna mala, quid proficeret? In hac exacerbatione nouum quidpiam apparuit, præcordij diſtentio, vtrinq; oblonga ad vmbilicum ſub mollis, hoc eſt, ſub vacua, erat tenſio in præcordio, ſcilicet in hypochondrio, ſine tumore, quia inflammationem ſeptum tranſuerſum patiebatur, inde per continuitatem ſurſum trahebatur hypochondrium. Mercurialis inflammationem fuiſſe negat, quia non dolebat, potuit tamen dolor, hoc eſt, doloris cauſa, adeſſe, & æger dolorem non ſentire, quia mente ægrotabat; erat quippe delirus. Sed inſtabitis, dolori ſepti tranſuerſi reſpirationem frequentem deberi, ſed iſte ægrotus, (vt in fine hiſtoriæ additur) toto morbi decurſu reſpirationem magnam, & raram habuit. Habuit quidem: quia præualebat delirium. Iam in Philiſco dixi, in dolore cum delirio, ſi dolor præualet, reſpirationem eſſe crebram, ſi delirium, raram.

Adiungit Mercurialis, riſum fuiſſe cum cantu,

& hilaritate,quare pertinebat ad animum, neq; potuiſſe fieri ex ſola titillatione ſepti tranſuerſi: neque enim in alijs febribus ardentibus, in quibus datur idem ardor, contingit idem riſus. Sed debuerat animaduertere, non in omni febre ardente adeſſe ſepti tranſuerſi inflammationem, aderat in hac,ac proinde tumor præternaturam habens ſecum aliquantulam continui ſolutionem,ad quam ſequebatur riſus, vt nos docet hiſtoria narrata à Galeno militis, qui vulnus accipit penetrans vſque ad ſeptum tranſuerſum. Et quamuis militis riſus fuit tumultuoſus, Sileni vero cum hilaritate,nihil refert. nam miles ex vulnere,hoc eſt, ex magna continui ſolutione dolebat,& ſimul, ratione partis vulneratæ riſus aderat, riſus autem ſimul cum dolore tumultuoſus erat. Exigua vero ſolutio continui in Sileno ſatis erat ad excitandum riſum, non vero ad tantum concitandum dolorem, quantus redderet riſum tumultuoſum.

Interrogabitis vnde nam Sileno hilaritas? nempe ex riſu: quemadmodum enim riſus oritur ex lætitia, ſic lætitia ex riſu: quippe riſus expanſio quædam eſt, expanſione ſpiritus dilatantur,& animus fit hilaris. Experimento etiam cõſtat, fieri ex riſu lætitiam, plorantes pueros ad riſum compellimus, & ſubinde à planctũ auertimus.

Sed dicat nunc aliquis pro Mercuriali inter tot praua ſigna prauam cacochymiam atteſtãtia,potuit ne adeſſe ſignum atteſtans benignitatem ſanguinis? at ſi riſus iſte erat deſipientia cum riſu, ſecurior erat alijs deſipientijs, ex de-

creto

creto Hippocratis,non ob aliã cauſam, niſi quia desipientia cum riſu ex bono fit ſanguine. At ſi humor erat mitis riſum faciens,eius vapores mites debuiſſent eſſe, ac proinde magis ad conciliandum ſomnum,quàm ad inducēdam vigiliam aptus,& tamen Silenus non dormiebat. Tandem deiectiones aduſtæ, vrinæ ſubnigræ melancholicum humorem præferebant, cuius comites ſunt metus, & mæſtitia; magis ergo conueniens erat huic ægroto,ex parte humoris prædominantis, mæror,quam hilaritas;fuit ergo hilaritas ex ſpirituum expanſione. iccirco dixit Dauid, in tribulatione dilataſti mihi,nempe, cor,& ſpiritus. hoc eſt lætum, conſolatum me feciſti, fuit, inquam, hilaritas ex ſpirituum expanſione, expanſio ex riſu. nam quæmadmodum planctu conſtrictio, ſic riſu fit dilatatio. *H. 6. aph. 53.*

Riſu excipi debet Mærcurialis inquiens, cauſam huius riſus calorem moderatum, fuiſſe. At vbi nam habebat Silenus iſtum calorem moderatum, qui toto corpore vehementiſſimum patiebatur febrile incendium?Concludo riſum eſſe actionem, ſi ergo erat verus riſus Sileni,cur, ait Hippocrates *continere ſe non poterat*; Scio Valleſium in controuerſijs dixiſſe, riſum eſſe ex ijs, quæ, quamuis liberè fiant, nequeunt tamen omninò cohiberi, ſicut de reſpiratione oportet dicere. Ita eſto, riſus omnino cohiberi nequit, ſed aliqua ex parte poteſt ſupprimi, quemadmodū reſpiratio,quam cohibere non poſſumus,maiorem, aut minorem facere poſſumus. Cæterum verba Hippocratis *continere ſe non poterat* indicāt, illum non potuiſſe aliquo modo riſum modera-

re, maxime quia aderat mentis impotentia.

Quarta per eadem -- Quarta dies eſt index ſeptimæ, nihil ad bonum contigit in quarta, non fiet ergo bona criſis in ſeptima, nec mala, tum, quia nihil etiam nouum, ad malum habuit, tum quia ſeptima dies Rex appellatur, in qua ſcilicet iudicantur ij morbi, qui ad bonum iudicari debent. Cæterum quoniam quarta hæc dies omnia praua habuit, quæ tres præcedentes dies habuerunt, nullam medico benè augurandi occaſionem præſtabat.

Quinta ſeceſſus bilioſi, meri, læues, pingues -- Deiectiones bilioſas, & ſynceras fuiſſe, nihil nouum attulit: nam tales prius etiam fuerant: læues, & pingues manifeſtam oſtendunt colliquationem. Omnis autem colliquatio mala eſt, non tamen omnis pariter mala, ſed quædam alijs deterior, quod oportet medicum accuratè diſcernere. Duo aderant colliquationis in deiectionibus ſigna læuitas, & pinguedo. deterius ſignum erat læuitas, quàm pinguedo, nam pinguis deiectio, ſola pinguedine colliquata poteſt fieri, vt Galenus inquit, pinguedinis autem liquatio lethalis non eſt, dicente Galeno, deiectiones pingues, prauas quidem eſſe, non tamen lethales prorſus: nam calor, qui carnes colliquat feruentiſſimus eſt, moderatior, qui pinguedinem. Et alibi pinguedinem abſumi, dixit ab igneo calore, non tamen vehementer maligno. At verò deiectio læuis, non niſi a magna fit conſumptione, ſicut enim læuitas in bonis optima eſt, ſic in malis peſſima: læue (vt inquit Galenus) redditur

G. 7. aph. 53. & 2. progn. 22.

G. 3. epid. ſe. 3. ægr. 1.

G. 2. progn. 21.

quic-

quicquid de corpore excernitur, aut quod habeat æqualem coctionem, vt nulla eius pars effugerit naturæ alterationem, aut propter vehementem conſumptionem, vt nulla materiæ pars imperpeſſa ſuperſit. Vt igitur, quicquid ſalubre eſt, id omne ſalubrius redditur, quoties æquale ſit, ita quicquid malum eſt, id omne euadit deterius ſi æquale exiſtat. Vtrunque enim per omnem materiam apparet, quæ aut naturæ comptum recepit, aut turpitudinem prauitatis. *G. ibid.*

Vtinæ tenues pellucidæ – Fuerant vrinæ nigræ, & turbidæ, facta fuerunt *tenues pellucidæ*, poterant eſſe ſignum delirij, at iam antea delirabat, poterant auctum delirium ſignificare: quippe humor ad cerebrum raptus, non iam vrinas tingebat. At Sileno delirium non fuit auctum, imo potius tunc reſipuit. Relinquo Montanum, qui ineptiſſimam affert rationem. Videlicet non deliraſſe, quia non aſcendebant iam vapores ad caput, non aſcendebant autem, quia deerat agitatio: quoniam natura præ debilitate ceſſabat à pugna. Cæterùm non erat ita morti proximus Silenus, vt natura pugnam defereret: etenim poſtea, & deliria, & alia accidentia ſuperuenerunt, quæ naturæ pugnam indicabant, & cum his per ſex adhuc dies ſuperuixit.

Valleſius, cum bilis, ait, atq; adeo maligna omnia excrementa, per debilitatem facultatis, & malo in deterius eunte, ſurſum reperent, tamen ab inflammatione hypochondrij in media via intercipiebantur, proinde apparere cœperũt vrinæ perſpicuæ, & homo nihilominus mente

conſtitit. Tamen aucto magnopere malo, quod obſidebat hypochondria, omnia lethalia ſigna ab ea die magnopere ſunt aucta, & mortuus eſſet celerrimè, niſi quædam exanthemata, varis ſimilia oborta, liberare tamen non valentia, mortem retardaſsent.

Quæmadmodum Valleſius exanthematibus acceptum refert, quòd æger vitam per aliquot dies prorogauerit, ita Mercurialis eiſdem attribuit, quod non delirauerit: quia materia per vrinas non expurgata, ad cutem, non ad caput ſe ſe contulit. neque recipit materiæ interceptionem à Valleſio allatam: nam ſi hoc fuiſset ęquū erat, vt incendium magis in ipſis hypochondrijs perciperetur, quod tamen minimè narratur in ſexta die contigiſse. Decipitur tamen Mercurialis: nam ſexta die febrem fuiſse acutam, inquit Hippocrates, non quod in præcedentibus diebus acuta non fuerit, ſed ad ſignificandum acutiei augmentum. Deinde eadem ſexta die iactatio fuit multa, iactatio autem magnum æſtū ſignificat; qui ex hypochondrijs ortum habebat, ſiquidem ibi minera mali latebat. Quicquid ergo dicat Mercurialis, præſtat Valleſij coniecturæ adhærere, quam cum eo reſipiſcentiam quintæ diei tribuere exanthematibus, quæ octaua apparuerunt.

Sexta circa caput parum ſudauit -- Sudor iſte duobus nominibus prauus erat, tum quia non vniuerſalis, tum quia circa caput membrum princeps: nam vbi ſudor, ibi morbus. accedit etiam, quòd comitem habebat extremorum frigiditatem, atque liuorem, iactationem multam,

tam,

tam,& alui vrinæque ſuppreſſionem. ſuppreſſio tum excrementorum, tum vrinæ non fuit, vt multi putant, ob debilitatem expultricis, nam, ſi ita foret, non daretur regreſſus in homine ad interitum tendente,ille tamen poſtea,& ab aluo excreuit, & minxit. Fuit ergo cauſa iſtius ſuppreſſionis ingens hepatis, renumque calor, qui ſua ſiccitate fæcum humiditatem ſugit, & ad exitum fæces renitentes facit, præterea idem calor, ad ſe trahens, non ſinit excrementa aliorſum diuerti, tandem cum deliraret (delirauit enim per totum morbum, quod teſtatur ſpiritus ſemper magnus, & rarus, licet per aliquod interuallum exiguum reſipuit) delirantes autem fæces reddere obliuiſcuntur.

Septima die voce deſtitutus eſt-- Factus fuit ἄφωνος, hoc eſt, voce deſtitutus, non ἄναυδος, hoc eſt, mutus. Aphonia fit vitiatis vel inſtrumentis proximis, vel remotis. remota inſtrumenta ſunt omnia inſpiratoria, hæc erant ſana, quippe ſpiritus erat magnus, qualis, pro voce edenda, eſt neceſsarius, fuit ergo vitium in inſtrumentis proximis, hoc eſt, in neruis recurrentibus, ad quos potuit fieri aliqua non leuis fluxio pituitoſa: quamuis enim in venoſo genere bilis abundabat, quæ ardentis febris erat cauſa, nihilominus in cerebro non deerat pituitoſus ſuccus,cuius ſignum fuit ſomnolentia,non valde poſt,ſequuta, deniq; ſeptima dies peſtilentium more, praua fuit, quippe hæ febres in decretorijs deteriores fiunt, nempe certamine ſemper in malum terminante.

Octaua ſudauit frigidum per totum-- Fuit ne mi-

nus prauus ſudor iſte, quia vniuerſalis, quã prior particularis in capite? conditio boni ſudoris eſt, vt ſit vniuerſalis, quod ita intelligatis velim, vt ſi ſudor bonus ſit, hoc eſt calidus, vniuerſalis ſit melior particulari, ſin prauus, nempe frigidus, quo plures occupat partes, eò eſt deterior.

Papulæ cum ſudore rubræ – Rubræ minus malę erant, quàm liuidæ, aut nigræ, niſi adeſſent alia grauitatem morbi ſignificantia, cæterum aderat adhuc ſanguis tenuis ruber, qui velut in auram conuerſus, & per cutem diſperſus, quaſi in guttulas rotundas conuertebatur, quamuis eodem tempore, iam ex frigiditate liuor craſſiorē ſanguinem deturparet. Erant paruæ, iudicantes tenuitatem materiæ, quo enim tenuior eſt, eo in minuitiores diuiditur maculas. Erant ſicut vari; ſunt autem vari græcè ἴονθοι tubercula, quæ in facie ſolent apparere. Non dicit Hippocrates, apparuiſſe has papulas, ſed *permanebant*, vnde occaſionem arripiũt aliqui exiſtimandi, eas iam prioribus diebus apparuiſse, & hac octaua die permanſiſse. Verumtamen Hippocrates diligens narrator, & vigilans perſcrutator non omiſiſset diem, quo primum apparuerunt neq; hoc pretermiſiſset. ait igitur *permanebant, non abſcedebant*. hoc eſt, papulę tunc apparentes non euaneſcebant, ſed permanebant.

Non deſunt qui dicant *non abſcedebant* fuiſse dictum, hoc eſt, non tranſibãt in abſceſsus, quod ſi ita accipiatis, vana remanet opinio Valleſij, qui exiſtimat, has papulas fuiſse variolas: vana, inquam eſt hæc opinio, quia variolæ ſuppurantur, præterea non ſolent variolę (vt bene ad-

aduertit Mercurialis) ad octauam diem apparitionem reſeruare, ſed tertia, aut, ad ſummum quarta apparent. Poſset aliquis dicere, fuiſse morbillos, cœterùm nec aderat tuſſis, nec frequens ſternutatio, nec oculorum rubedo, quæ morbillos ſemper comitantur. Alij fuiſse ſuſpicantur puncticulas, quæ noſtro hoc æuo febrium malignarum ſunt comites, & ex hac, & alijs Hippocratis hiſtorijs ſibi perſuadēt, has puncticulas non eſse morbum nouum veteribus incognitũ.

Ab aluo vero cum parua irritatione -- Suſpicor, paruam irritationem fuiſse factam, ſubdita glāde, vt & Philiſco; neq; enim auderet Hippocrates aliquid violentius in ſtatu illo tentare. Magnæ autem aduſtionis ſignum fuit mordacitas tum fæcum, tum vrinarum, ſiquidem vtrobique prodibant excreta cum dolore ob acrimoniam humoris, qui cum excrementis permiſcebatur.

Erant ſtercora *tenuia, vel inconcocta* recte dicit *velut*, nam tenuitas illa erat, qualis ſolet in cruditatibus eſse, non tamen tunc hęc erat cauſa, ſed quam diximus, nempe, colliquatio, quæ vlterius ſemper progrediebatur, adeò vt iam ſub finem ſubſidentia vrinarum eſset farinacea, quam diximus omnium eſse peſſimam, quia iam partes ſolidæ à perſeuerante maligno calore conſumptæ erant.

Extremitates parum recaleſcebat -- Aliqua videbitis nunc, quæ medicum poſsent ſeducere, vt exiſtimaret, morbum in melius pergere. nempe recaleſcebant aliquantulum extremitates, quod non dubiũ eſt eſse bonum ſignum, quippe frigiditas nō recaleſcens fit ob extinctionem; deinde

etiam

etiam ſomni, licet tenues, & ſoporoſi, meliores ſunt quàm vigilia, quæ præerat, & iactatio, & delirium.

Præterea vox intercepta melior erat, quàm quæ antea fuit omnino ablata, vrinæ tenues, & pellucidæ, meliores quàm craſſæ nigræ. Cæterùm dum aliquis inani ſpe detinetur, videt vrinam aceruatim mictam cum farinaceo ſedimento, extremitates frigidas, ad quas mors ſequuta fuit. Vnde nam illud morbi in melius vergentis ſpecimen? placet mihi Cardani reſponſio, nempe in lethalibus morbis dari etiam aliquam quietem, tum ob horas diei, ſemper enim matutina hora ægrotantibus eſt fauorabilis, tum ob motum materiæ, quæ aliquando accipit viam in qua minus moleſtat, licet in ea non perſeueret, tum ob aſtrorum diſpoſitionem: certiſſimum namque eſt corpora noſtra ſupernis lationibus eſſe obnoxia, tum ob comparationes cauſarum, vt ſi comparetur acerbatio huius horæ cum exacerbatione heſternæ diei in eadem hora, itaque quicquid boni tunc acceſſit, homini iam mortuo acceſſiſſe putandum eſt, nam Galenus ait, Silenum moriturum fuiſſe ſeptima die, qua aphoniacus fuit factus, quod autem ad vndecimum perdurauerit, tribuendum eſt virium robori, quo erat præditus, ob ætatis florem; agebat enim annum vigeſimum circiter. Mortuus fuit die vndecimo, cui decernendi, ſed magis præcipuè indicandi vis ineſt. Habuit ſemper ſpiritum magnum, & rarum, & hypochondrij palpitationem ab inflammatione ortam: quippe inflammatio, vbi arteria

teria adeſt, dolorem efficit pulſatilem, vt *G.2. loc.*
eſt Galeni ſententia, arteria autem *affect. c.*
dorſalis non procul ab eo *3.*
loco aberat.

(·.·)

ÆGRO-

ÆGROTVS TERTIVS.

HEROPHONTI febris acuta. Ab aluo pauca ab initio velut in teneſmo, poſtea vero tenuia prodibant bilioſa, frequentiora, ſomni non aderant. Vrinæ nigræ tenues. Quinta mane ſurditas. Exacerbabata ſunt omnia. Splen eleuatus eſt. Præcordij diſtentio. Ab aluo pauca nigra prodierunt, delirauit: Sexta delirabat: ad noctem ſudor, frigiditas, delirus permanebat, ſeptima perfrigerabatur ſiticuloſus delirabat, noctu reſipiſcebat, obdormiuit. Octaua febricitauit, ſplen minuebatur, intelligebat omnia: doluit iuxta inguen, tumor partium e directo ſplenis, deinde dolebat vtraſque tibias, nox tolerabilis. Vrinæ coloris melioris paruam ſubſidentiam habebant. Nona ſudauit, iudicatus eſt morbus. Intermiſit. Quinta reuerſus eſt. Statim autem ſplen eleuatus eſt, febris acuta, ſurditas rurſum. poſt recidiuam tertia die ſplen minuebatur ſurditas minor erat, crura dolebant, noctu ſudauit. Iudicatus eſt die ſeptimadecima. Neque delirauit in recidiua.

Herophonti Febris acuta-- Si primam partem huius ægritudinis conſideratis, non minus periculoſa habuit ſigna, & ſymptomata, quàm priores, & tamen illi perierunt, iſte euaſit. Verùm Philiſco morbus per pares mouebatur, nec potuit, cęleſtes influxus, inferiorib. cauſis fauentes habere, neque criſim potentem. Iſte autem pe

im-

mpares mouebatur, ac proinde in diebus, ma-
nam vim iudicandi habentibus, potuit ſe ſe
xonerare à morbi ſarcina. Silenus habuit plu-
es vitæ errores, à quibus multitudo humoris
umulata fuit tanta, quantam natura non po-
uit ſuperare, de iſto ſimiles errores non nar-
antur. Fuit eius febris acuta, & mali moris,
eque enim poſſumus, non ſuſpicari malignita-
m, vbi ſtatim in principio apparuit prauum
gnum in vrina, prauum ſymptoma, tum in
ctionibus læſis, qualis eſt vigilia, quæ modum
xcedebat, ac proinde erat mala: dicente Hip-
ocrate *ſomnus, atque vigilia vtraque ſi modum* *H. 2. aph. 3.*
ceſſerint, malum, tum in excretis: Fuerunt
amque primùm pauca, vt in teneſmo, poſtea
nuia, biliosa, frequentiora.

Velut in teneſmo -- Non dicit teneſmo laboraſ-
, ſed excreta fuiſſe velut in teneſmo. Et hoc
duertite, quia poſtea adiungit, ſequuta fuiſſe
liosa frequentiora. Si prius fuiſſet teneſmus,
on ſequerentur frequentiora. nam nulla fre- τηνισ-
uentior deiectio eſt, quam quæ fit in teneſmo: μος.
uippe teneſmus eſt frequens, immo continua
eijciendi cupiditas. duo concurrunt in teneſ-
o, vlceratio recti inteſtini, & excretio viſcoſa,
tuitoſa, cruenta. habuit hanc excretionem,
d non habuit vlcerationem, quippe citò in
iarrhęam mutatio facta fuit, non autem in dy-
nteriam, in quam teneſmum tranſire dixit *Hipp. li. 1. de morb. in princip.*
ippocrates, dicendum ergo Herophontem
abuiſse teneſmum, quem Arabes appellant,
on verũ. Hoc tamen explicatione indiget, pro-
in meis exercitationibus medicis reperietis.

Vri-

Hipp. 2. prog. 32. *Vrinæ nigræ tenues*-- Quoniam Hippocrates in prognoſticis, inter exitioſas vrinas, reponit nigras, & craſſas, accipiunt nonnulli has duas conditiones ſimul, & dicunt nigras, & ſimul craſſas eſſe deteriores nigris tenuibus. Et ita Herophontem iſtum dicunt è morbo euaſiſſe, cuius vrinæ erant nigræ tenues, non euaſiſset, ſi fuiſſent nigræ craſsæ, ſic etiam in Abderis Herophytus, & Nicodemus, qui vrinas nigras tenues minxerunt, ſaluati ſunt. Verùm tamen iſti decipiuntur: nam ſi ex euentu eſt iudicandum, etiã mulier, quæ apud frigidam aquam in Thaſo habitabat, vrinas perpetuò tenues nigras minxit, & tamen octogeſimo obijt. Si ad rationem reſpicere debemus, tenues duplici nomine ſunt prauæ; tum tenuitate, ſummam cruditatem indicante, tum nigredine, quæ vel ob ſummam frigiditatem fit, vel ob ſummum ardorem, deinde in morbis longis, vt in quartanarijs circuitibus in lienis, & renum morbis, vrinæ nigræ minguntur, & craſsæ, expurgante ſe per eas natura à melancholico ſucco. Similiter mulier moroſa, quę cum vrina nigra liberata eſt, copioſè deſcendentibus menſtruis, conſentaneum eſt, nigras craſsas habuiſse vrinas. Herophytus, & Nicodemus in Abderis nigras minxerunt vrinas, de craſſitie, aut tenuitate non conſtat. Galenus nigras vrinas in opere de Criſibus damnat abſolutè, neque tenuitatem, neque craſſitiem adiungit.

Hipp. 3. ep. ſect. 3.

G. 1. criſ. 12.

Aet. te- tr. 2. ſer. 1. c. 44. Auic. 2. 4. tr. 1. c. 82.

Habuit vrinas tenues, vt habuerunt alij, quos dixi, & hinc arguuntur Aetius, & Auicenna, qui vrinam nigram tenuem non agnouerunt, quippe exiſtimarunt, non aliter vrinam poſse nigrã fie-

eri, quam permixtione melancholici humoris, ui, cum craſsus ſit, neceſsario vrinam ſua corulentia incraſsabit. Verùm debuerant animadertere, poſse à qualibet minima portione atręilis vrinam tingi, ita vt ſufficiat ad denigranum, non autem ad incraſsandum. Si verò diatis cum Galeno deiectionem, ſi pauca atra- *G.2.pro-* ile miſceatur, non nigram, ſed liuidam fieri. id *gn.22.* n deiectione admittam, in vrina negabo: quipe vrina fuſio quædam eſt, & liquor, qui facilè à ubſtantia tingente penetratur, deiectio ob craſitiem inepta eſt ad ſuſcipiendam tincturam. Sed ur datur nigra vrina tenuis; rubra autem non iſi craſsa reperitur, quamuis ſanguis tenuior it humore melancholico? An quia color, quo ntenſior eſt, eò magis tingit, quo remiſſior mius. niger color intenſiſſimus eſt, vt pote in xtremo conſtitutus: iccirco nigri humoris quæbet portio ſufficit ad nigram reddendam vriam, rubri non ſufficit?

Propter hanc vrinam, exiſtimat Galenus *G.1.criſ.* Ierophontem præter ſpem euaſiſse: quoniam 12. pſe neminem cum hac vrina ſaluatum vidiſse, ontigit. Miror illum, neminem cum vrina nira ſanatum vidiſse. cum tamen non ſit omnino arum: nam præter hiſtorias Hippocratis, in uibus multos cum hac vrina ſaluatos legimus, nedicis medicinam facientibus hic caſus multoies occurrit, & mihi plurièes occurriſse plena file teſtari poſsum.

Quinta mane ſurditas-- Exiſtimat Mercurialis, Hippocratem ea, quæ primis quatuor diebus ontigerunt, confusè enarraſse. quoniam ex alio-

aliorum narratione loquitur, & quinta die fuiſſe vocatum: nihil tamen prohibet, omnia à prima ad quintam diem fuiſſe ſimilia, propterea omiſiſſe diariam primorum quatuor dierum narrationem. Tamen quintæ diei exacerbatio, tertiæ exacerbationem ſupponere videtur: bilioſa erat febris, de tertio in tertium mouebatur. Cæterum exacerbatio quintæ, videtur fuiſſe valde maior, quam tertiæ, ideo dixit *exacerbata ſunt omnia*.

Surditas adfuit, à qua non potuit illum vindicare, alui fluxus bilioſus, imò ſi rectè Hippocratis aphoriſmum conſideratis, meritò ſurditas acceſſit, inquit Hippocrates *quibus bilioſæ deiectiones, ſuperueniente ſurditate, ceſſant, & quibus ſurditas, ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus, ceßat:* ſi igitur bilioſæ deiectiones ſubſequerentur, liberarent à ſurditate, ſed quia præceſſerunt, & ceſſarunt, conſentaneum fuit, ſuperueniſſe ſurditatem. Ceſſauit autem alui fluxus bilioſus: ſiquidem prius ab aluo prodibant *tenuia bilioſa frequentiora*. In hac verò quinta die, quando ſurditas acceſſit, ab aluo pauca nigra prodierunt. Metaſtaſis praua fuit iſta ab infernis, & ignobilibus membris, hoc eſt, ab inteſtinis ad ſuperna, & nobilia, hoc eſt, ad cerebrum, & ſubindè ad auditorios meatus.

H. 4. aph. 28.

Fuit etiam in hac quinta die ſplenis eleuatio, & præcordij diſtentio. Hæc rurſus altera metaſtaſis laudabilior à capite ad lienem, concurrente namque humore ad ſiniſtram partem lien intumuit, vt abſceſſus dici poſſit, ob hunc tumorem diſtendebatur præcordium, ſiue hypo-

chon-

drium. Et quamuis, quoties Hippocrates dicit hypochōdrium, nec addit dextrum, aut ſiniſtrū, debemus dextrum, tamquam dignius, intelligere, nihilominus in præſente, quoniam lienis tumori adiungit tenſionem hypochondrij, ratio poſtulat, vt ſiniſtrum intelligamus. Cum hoc tumore duo contigerunt, vtrumque valdè timendum, vnum eſt delirium, nam deſcendente humore ad hypochondrium, cum cerebrum debuiſset immune remanere, tunc delirium cæpiſſe, quid potuit magis præter rationem euenire? alterum excretio pauca, & nigra: hæc, quia pauca, non poterat proficua eſse; quia verò nigra; lethalis videbatur, dicente Hippocrate in aphoriſmis. *Morbis quibuslibet incipientibus ſi atra-bilis, vel ſurſum, vel deorſum exierit lethale*. Neque verò ſolam damnat atræ bilis deiectionem, ſed etiam in præcedente, & ſubſequente aphoriſmo, omnem deiectionem nigram, ſiue cum febre, ſiue ſine febre. Triplex enim eſt humor niger. quidam eſt fex, quæ in ſanguinis generatione ſubſidet, cuius magna pars fertur ad lienem, ad ipſius nutritionem, & alios vſus. Alius eſt ſanguis, qui deiectus per meſaraicas ad inteſtina, ibidem concreſci, & denigratur. Tertius ex vlteriore aduſtione, ſanguinis, aut, aut bilis, & hæc eſt deterrima ſpecies, non concreſcit, ſplendet; ſaporem, & odorem refert aceti, cadens in terram fermentatur, muſcas, & mures abigit, neque enim prę amaritudine audent illum guſtare. Omnes autem iſtæ tres ſpecies, ſi deijciantur, prauum ſignum ſunt, quippe debilitatem naturæ nequeuntis materiam retinere,

H. 4. aph. 22.

donec eam corrigat,ſignificant.tum etiam quoniam fæces nigræ, nigrum humorem ſyncerum oſtendunt, ſyncerus autem humor, vti iam diximus, prauus eſt. Itaque quamuis omnis nigra deiectio praua ſit, præcipuè initio morbi; tunc enim nihil excernitur naturæ ratione, ſed veluti caſus eorum,quę pręternaturam in corpore fiũt, nihilominus, non omnis eſt æqualiter mala.Exactam atram bilem ſemper lethaliter excerni, Galenus ait, & in peſtilentia quæ eo tempore, quo libellum de atra bile ſcripſit, fuit peruagata,non paucos ægrotos ſeruatos videt nona die, vel ſeptima, vel vndecima, qui humorem excernebant, vel proximè ad atram bilem accedentem, vel ne mordicationem quidem,nec fædum odorem habentem, vel in medio horum conſiſtentem, qui verò puram, exactamque atram bilem deiecerunt, omnes perierunt. Erat deiectio Herophontis nigra, non tamen ob tincturam exactæ atrę bilis,ſed ob aliquam ex alijs humoribus, alioquin non euaſiſſet: ſiquidem Hippocrates de atra bile exacta videtur loqui, cùm eam valde lethalem, & poſtridie, interimentem eſſe dicit.

G. de atra bilẽ c. 3. c. 4.

Sexta delirabat, ad noctem ſudor, frigiditas delirus permanebat -- Adhuc praua erant ſymptomata; ſudor & frigiditas frigidum ſudorem eſſe ſignificant: nam ſi eſset ſudor, qui habitum corporis refrigeraret,fieret cum conferentia,at iſte non ſolum nihil conferebat,ſed potius comitem habebat delirium. Quamuis autem ſudor ſoleat febres iudicare, nihilominus decretoria ne ſtatim appareant,inquit diuinus Hippocrates,erat

mor-

morbus adhuc in principio, neque coctionis vlla ſigna aderant, delirium admodum, perſeuerans, læſum cerebrum ſignificabat.

Septima-- Diei ſeptimæ in ingreſſu, adhuc poterat medicum perterrere, ſub finem cæperunt ſigna fauſta, veluti nautis in procella, apparere. Fuit principium cum refrigeratione, ſiti, & delirio, ſub finem reſipuit, & dormiuit. Verùm cum Hippocrates nullam narret præcedentem ab arte factam euacuationem, nec à natura copioſam, nulla fuit præcedens in vrinis viſa coctio, non oportebat fidem habere, huic bono, quod præter rationem videbatur. Et ſolum poterat in eo prodeſse, quòd morbus ſaltem inducias præberet, neque curreret furioſus; expectandum tamen erat, nec aliquid pronunciandum, donec æger à morbo expergefactus oſtenderet, num ſomnus ille laborem fecerit, an potius delirium ſedauerit, quod iam ante ſomnum ſedatum videbatur.

Octaua febricitauit-- Et quamuis dicat *febricitauit*, quod indicat febrem fuiſse acutam, ego in alio ſenſu id accipio, nempe, quaſi dicat, octaua die; quamuis minuta ſunt omnia, febris tamen perſeuerabat. Nec mirum perſeueraſse febrem, cùm nulla euacuatione materia febrilis fuiſſet minor reddita, quamuis iam diuertebatur optimo naturæ conſilio, hoc eſt κάτ'ἴξιν ſecundum rectitudinem; ſiquidem de creſcente ſplenis tumore; inguen ſiniſtrum, quod eſt ſplenis emunctorium, intumuit. Et iam, creſcente diuerſione, non ſolùm ad inguen, ſed ad crura demandabatur. Sed cur ad vtraque crura? nonne ſatis fuiſſet

occupare crus ſiniſtrum? nempe materia ex vena deſcendente, cùm deorſum detruderetur, ad ambas tibias detrudi debuit: quippe vena hæc bifurcatur, & ad vtraſque tibias ccmmunitas eſt vaſorum. Sed dicetis, quid habet vena caua cum liene, ad quem non caua vena, ſed porta defertur. Nimirum ex iecore ad lienem tranſmittebatur ſuccus melancholicus, quo lien intumeſcebat.lien exonerauit ſe in inguen ſiniſtrum, hepar diuertit materiam per cauam deſcendentem ad crura, & ita lien minui cæpit propter materiam ad inguen demandatam, nec iterum creuit, propter diuerſionem factam à membro mandante, hoc eſt à iecore, ad crura. Ex hac tranſmiſſione ſequuta fuit *nox tolerabilis*, quia natura aliquantulum recreabatur, quaſi depoſita ſarcina.

Vrinæ melioris coloris paruam ſubſidentiam habebant -- Magnum documentum, quo docemur; quanti facienda ſit in morbis materialibus concoctio humoris, quam Hippocrates ait, duo bona ſignificare, primum ſecuritatem, alterum breuitatem.Hæc duo præſtò ſequnta ſunt.Quippe ex tot dierum, nempe, ſeptem præcedentium pugna, cępit in octaua victoriæ ſignum apparere; coctio enim eſt victoria naturæ ſupra cauſam morbificam.

Nona ſudauit iudicatus eſt morbus -- Sequuta eſt conueniens expulſio, nempe, per ſudorem: quippe melancholicus ſuccus in hoc ęgro abundabat, quem Hippocrates aquam appellat, quia ſcilicet melancholici multo ichore in ſanguine abundant.cur autem melancholici magis,

Hip. de morb. 4. & lib. de genit.

quàm

quàm alij, ichoroſi ſint, rationem eſſe puto, quia melancholia eſt fæx ſanguinis à calore genita, vt igitur abundat calor terreas partes adurens, ita idemmet calor humidas liquat. Cęterum cùm parua ſubſidentia in Herophonte, non multam materiam concoctam eſſe indicabat, ita ſudorem putò ſubſequutum, non valde copioſum; ſudor enim, non niſi per aliquot dies continuatus, ſufficiens eſt ad perfectè iudicandos morbos, quod quidam Noetericus adnotauit ad verba, dillius ſententiæ *ſudores febricitanti ſi inceperint*, dictum eſt *ſudores* in plurali, & additum *ſi inceperint*, quod continuationem quandam ſignificat: cum igitur criſis ob hanc cauſam diminuta fuerit; non mirum, ſi æger recidiuauit.

Quinta reuerſus eſt -- Quoniam *quæ relinquuntur ex morbis recidiuas facere conſueuerunt*; quoniam rurſus, ex criſi imperfecta, non potuit non aliquid relinqui, recidiua contigit, & contigit ea die, quæ motui naturæ erat deſtinata, videlicet, quarta: quippe ceſſauit febris nona, & quinta die, poſtea redijt. Ita vt in hoc ægroto; ſiue numeretis dies decretorios, computando à prima radice, ſiue à recidiua, idem eſt. Conſtat autem, recidiuam ab exigua cauſa intus remanente fuiſſe orram: ſiquidem, præter recidiuarum legem, quæ ſolent ſuis radicibus eſſe deteriores, hæc fuit melior: nam in recidiua non delirauit, & durauit per tres dies duntaxat: quippe decimaſeptima, ſudore rurſus adueniente, perfectè iudicatus eſt. Fuit autem à prima radice decimaſeptima, à recidiua autem tertia. *H. 2. aph. 12.*

ÆGROTVS QVARTVS.

IN Thaſo Philini vxorem, quæ filiam pepererat, cum purgatio ſecundum naturam facta eſset, & aliàs leuiter degeret, decima quarta à partu die febris vehemens corripuit cum rigore. Ab initio verò cor dolebat, & circa percordium dextrum: muliebrium partium dolores: purgatio ceſſauit. Vbi vero glandem ſubdidiſſet, hæc quidem leuiora facta ſunt. capitis autem, colli, & lumborum dolores permanebant. Somni non aderant. Extremitates frigidæ, ſiticuloſa erat: aluus combuſta pauca egerebat. Vrinæ tenues ab initio decolores. Sexta die ad noctem multum delirauit, & rurſus reſipiſcebat. Septima ſiticuloſa: ſeceſsus bilioſi abundè colorati. Octaua ſuperriguit. Febris acuta, conuulſiones multæ cum dolore, multum delirabat. glande ſubdita exurgebat, multaque cum fluxione bilioſa prodibant. Somni non aderant. Nona conuulſiones. Decima parum reſipiſcebat. Vndecima dormiuit: omnium recordata eſt. ſtatim autem rurſus delirauit. Vrinam autem reddebat cum conuulſionibus, aceruatam, multam. Illis autem parum admonentibus craſſam albam: qualis eſt ex his quæ ſubſiderunt vbi multo tempore ſita fuerint conturbata: non ſubſidebat: color, & craſſitudo talis, qualis eſt in vrinis iumentorum. Talia mingebat, quæ ego vidi. Circa decimumquartum diem palpitationes per totum corpus: ſermones multi, parùm reſipiſcebat, verùm ſtatim rurſus delirabat, circa decimum

cimum ſeptimum voce deſtituebatur, vigeſima mortua eſt.

Cum purgatio ſecundum naturam facta eſſet -- Diſcrimen eſt inter καταλύα ideſt menſtrua, & λόχεια ideſt puerperia, quod illa ſingulis menſibus contingunt, & ſi retineantur morbos quidem gignunt, ſed vt plurimum chronicos, hæc, ſi præternaturaliter intra tempus à natura conſtitutum, ceſſauerint, valde acutorum morborum, & lethalium ſunt cauſa, quippe in puerperijs praua eſt materia, ſiquidem fætus id, quod probum erat, ſibi accepit. Conſtitutum tempus mulieri, quæ maſculum peperit triginta dierum eſt quę fęminam (vt erat iſta) quadraginta: quippe fęmineus fætus, vt pote frigidior, minus alimenti abſumit, & ſubinde plura relinquit excrementa.

Febris vehemens corripuit cum rigore -- Ex inflãmatione vteri, qualem in hac muliere, ſaltem ex dolore circa partes muliebres, ſuſpicari poſſumus, febrem fieri acutam ſcribit Hippocrates, *Hip. de morb. mul.2.* cui aſſentitur Galenus, qui validas, vehementeſq; febres in vteri phlegmone fieri, inquiens rationem reddit *quoniam vterus plurimas grandiſſimaſque venas habet, in quibus, aut prope quas, ſi ſanguis putreſcat febrem ſuccendi de ſynochorum genere neceſſe eſt*. *Gal. de humor. & 6.epi. ſec.1.cõ.2.* Eſt præterea alia ratio, videlicet maximus conſenſus vteri cum corde per arterias, quare ſi in alijs inflammationibus febris, quæ accenditur eſt magna; in inflammatione vteri longè maior eſſe debet. Rigor etiam vteri affectibus familiaris eſt: quippe vteri ſubſtantia membranoſa eſt, & plurimos habet in ſua com-

poſitione neruos, qua propter, cum mordetur, & pungitur, in conſenſu trahit viuerſum neruoſum genus, fitque horror, aut rigor, non aliter, ac iniecto in plagam acri medicamento.

Abinitio cor dolebat-- Patiebatur cardialgiam, ſeu cardiogmon, nempe dolorem, aut morſum, non quidem cordis, ſed oris ventriculi, quod Veteres cor nominabant; non autem eſt dicendum, iſtum dolorem fuiſſe propter aliquam inflammationem illius partis: ſatis enim fuit, quod vapores ab vtero ſuſciperet, vt ob hanc cauſam grauiter doleret: eſt namque os ventriculi exactiſſimo ſenſu præditum, & ita eſſe oportuit, vt facile diuulſionem, quæ fames dicitur, perciperet. Eſt autem magnus vteri cum ventriculo conſenſus, vt oſtendunt mulieres, vterinis affectibus conflictatæ, quas omnes comitatur inappetentia valde magna, nauſea, importunique ructus.

Circa præcordium dextrum--Triplex erat dolor, vnus per conſenſum, quē diximus in ore ventriculi, alij duo, propter duas partes inflammatas, iecur, & vterum. Iecoris inflammatio colligitur ex dolore dextri hypochondrij, inflammatio vteri, ex dolore partium muliebrium. Valleſius legislatorum more, ait, in iecore fuiſse inflammationem, in vtero eryſipelas; oportuiſſet tamen rationem reddere, cur ita ſentiret, quod quia non fecit, deſerendus eſt. Mercurialis, in iecore non inflammationem fuiſſe, exiſtimat, ſed phlogoſin, hanc etiam Galeno antiquiores, nomine inflammationis, ſeu phlegmonis, compræhendebant, verùm ſi ſola eſſet phlo-

goſis,

goſis, calor quidem ſentiretur, non dolor. Ego multa in hac muliere ſigna reperio ab Hippocrate allata in inflammatione vteri, quæ licet eryſipelate ſit benignior, poteſt tamen occidere. cumque Hippocrates narret eryſipellatis vteri ſigna, quæ in hac non aderant, non eſt, credendum, fuiſſe eryſipelas. Cumq; phlegmon fiat ex bono ſanguine, & hæc mulier per quatuordecim dies fuerit ſecundum naturam purgata, & in reliquis benè habuerit, magis credibile eſt ex ſanguine, quàm ex bile, factam fuiſſe in vterum fluxionem.

Purgatio ceſſauit -- Inter euentus primæ diei, vltimo loco ſcribit purgationis ceſſationem: vnde videbitur alicui, prius febrem accenſam, poſtea verò ceſſaſſe purgationem. quod ſi ita eſt, dubitare, poſſemus, num ex retentis puerperijs febris fuerit orta, an magis ex febre, calore, exſiccante purgationes, ceſſaſſe. Mercurialis ait, vltimo loco factam fuiſſe mentionem retentionis purgationum, quia purgationes non viſæ ſunt ceſſare, niſi tardè, nam pueperia non fluunt iugiter, & continuatim, ſed per interualla, vnde non ſtatim animaduertitur vitium, ſed poſt aliquod tempus. Reſpondet etiam aliter cum Hippocrate, mulieres verecũdari, ac proinde iſtam erubuiſſe ſtatim prima die purgationis defectum fateri. Verùm leuia sũt iſta. Satis eſt, quod ceſſatio purgationis, inter ea, quæ prima die acciderunt, narrentur, de ordine vero non erat admodum ſollicitus Hippocrates. *Hip. 1. morb. mul.*

Puto igitur, craſſiores ſanguinis partes in venis circa vterum detentas fuiſſe, & ſanguinem,

iam

iam ab hepate inflammato procedentem ; ac ſubinde valde calidum, ibi conculcatum incaluiſſe magis,& putredinem concepiſſe; vnde facta fuit inflammatio, & forſan ex putredine, tenuiores partes in bilem abeuntes, fecerunt, vt phlegmon eſſet eryſipelatodes,hoc eſt, aliquantulum bilioſi humoris particeps.

Vbi vero glandem ſubdidiſſet -- Non quæ ad fæces extrahendas ano apponitur,de qua inferiùs, in hac ægrota mentionem facit; ſolet enim Hippocrates, quando de glande ad egerendum loquitur προθέτα hoc eſt, ſuppoſitoria, appoſito βάλανον hoc eſt, glandem dicere,nempè, ſuppoſitoriam glandem, quando vero (vt in libris de morbis mulierum ſæpiſſime facit) vult ſignificare ea,quæ vtero ſopponuntur,tunc ſimpliciter προθέτα hoc eſt, ſuppoſitoria dicitur. Ita videbitis in præſente dictum, ſubdito ſuppoſitorio,melius habuiſſe,& infra,ſubdita ſuppoſitoria glande, crebrò exſurrexiſſe, quod ſi Cornarius, cuius verſionem aliàs ſequimur, vtrobiq; glandem vertit, eum in hoc non ſequimur, quippe græcis dictionibus non ſe ſe accomodauit,exiſtimans fortaſſe,vt Mercurialis,qui Cornario ſemper adhæret,exiſtimauit,vtrobique fuiſſe appoſitam glandem ad extrahendas fæces. Cæterum ſi ita eſſet,diceret Hippocrates,quid hac glande fuit extractum, ſicut dicere ſolet, & inferius ex glande ait exſurrexiſſe.Fuit ergo ſuppoſitorum, quod, vel in vellere, vel ſimpliciter confectum apponi ſolet in vteri doloribus,aut alijs vterinis affectibus.Cęterùm,cum ſuppoſitorium iſtud ſit remedium locale, non debuit applicari, niſi ce-

lebra-

lebratis prius vniuerſalibus euacuationibus, itaque cum adhuc eſſet in principio, non crediderim mulierem fuiſse ſatis euacuatam, ſed alterum duorum fuit, vel mulier iſta ex conſilio muliercularum ſuppoſitorium anodinum ſibi applicari paſsa eſt, ex quo dolor quidem leuior eſt factus, ſed hæc ſubleuatio non valde durauit, vel dicendum, vehementiam doloris, & grauitatem ſymptomatum medicum coegiſse, vt ad curam coactam confugeret, & omitteret regularem, forſanque aliquod peſsarium narcoticum applicuit, vt partis ſenſum obtundens, quietem aliquam induceret.

Capitis autem & colli, & lumborum dolores permanebant -- Quamuis remedium topicum eam partem, cui adhibitum eſt, conſolatam reliquit, nihilominus aliarum partium labores non ceſſarunt. Capitis cum vtero magnus eſt conſenſus. Nam, inter reliquas corporis partes, vterus tum plurimas, tum maximas habet venas, & arterias, his repletis, & vitioſo ſucco redundantib., multo magis, ſi calor præter naturam acceſserit, vapores multi, tùm in ſtomachum, tùm in caput, attolluntur: conſentit enim vterus cum ſtomacho, & ſyncipite, vt ex 6. epidem. Per venas ergo communes vtero, & mammis, multa antrorſum, per arterias colli ad poſteriores partes capitis feruntur. Vnde etiam per eas venas, & arterias colli dolor fit; lumbi etiam dolent, quia præcluſis acetabulis, vaſa, quæ ad vterum pertinent, implentur, imbibunturque vincula, per quę vterus vicinis partibus alligatur, ex quo lumbi maximè laborant.

Hip. & Gal. 6. epi. ſect. 1. tex. 2.

Vapo-

Vapores,ab vtero eleuati,in cerebrum, & vẽtriculum,duo attulerunt mala,ſitim,& vigiliam, propterea *ſiticuloſa erat, ſomni non aderant*. Ventriculus à calidis fumis exſiccatus, ſitim, cerebrũ eorundem fumorum acredine punctum,vigilias inducebat.*frigiditas extremorum* aderat,omnibus internis inflammationib. propria: quemadmodum enim (vt Galenus inquit) in morbis longis calor natiuus, præ debilitate, nequaquam permeat ad extremas corporis partes, ſic in morbis acutis,propter magnitudinem inflammationis viſcerum,parum ſanguineę ſubſtantię in omne permeat corpus, plurimum verò eius in parte inflammatione affecta includitur, & ob eam rem,mediæ corporis partes,quæ ſunt thorax,ac venter,ſatis videntur calidæ; videtur autem (teſte eodem)ſolis accidere febribus,quæ cauſones ab incendio nominantur,pernicioſis,vel,ſi aliter libeat appellare, maligniſſimis. veluti lypirijs. Hãc autem viſcerum inflammationem,ad quam febrem lypiriam ſequi vult, intelligit vniuerſalem quandam interiorum partium phlogoſim. Nam ex particulari membro inflammato, nunquam apud eum reperio lypiriam nominatam, imò potius aliquando, referens antiquorum ſententiam ſic ait. *In quibus ſine partis inflammatione, putreſcentes in venis humores febrem accendunt, in illis ſolis dicebant hominem febre moleſtari, & ipſum à febre haberi. Atque in ipſis febrium ſcripſerunt differentias Hepialon,lypiriam,Eloden,& Typhoden,peſtilentem, & Cauſon, ideſt ardorem nominantes. Hepaticam, autem febrem, vel lienoſam, aut pulmoniam, aut latheralem nemo dixit*. Sic Galenus,

Gal. 2. *progn*.4.

Gal. 4. *aph.* 48.

Gal. 7. *aph*.42.

lenus, qui tamen, vel ſibi parum conſtans, vel antiquorum dicta nihil curans, alibi ita ſcriptum reliquit. *Alia eſt enim forma febris phreniticæ, & peripneumoniacæ, & pleuriticæ, & hepaticæ, itidem, & aliarum omnium febrium, quæ ex inflammatis quibuſdam particulis accenduntur, ſed & aliæ rurſus formæ ſunt earum, quæ ex eriſipelatibus accidunt, & febris ardens, vel maligna, vel pulmonis, vel hepatis, aut ventriculi eryſipelatibus ſuperuenit.* Sed his omiſſis (quiſque enim ad libitum mihi videtur nominibus vſus: quippe Aetius lypiriam febrem, inquit, eſſe, quando in ventriculo eryſipelas exiſtit, typhoden, quando in iecore, crimnodem, quando in pulmone. Galenus tam lypiriam, quam typhoden, quam etiam crimnodem ad eas reducit febres, in quibus interna vruntur, externa algent) vnum mente tenere oportet, quod de bubonibus dixit Hipp. & ad omnes inflammationes poteſt extendi, ſi ex illis ad cor ſimplex alteratio diſtendatur, febris erit ephemera, ſin vapores putridi mitantur, tunc non poteſt non praua eſſe febris, putrida, &, vt plurimum maligna, quę tamen erit ſymptoma: propterea cauete à Valleſio, exiſtimante febrem, quæ ſymptoma eſt, ſemper eſſe ephemeram.

Gal.] 2. criſ. 7.

Aet. tr. 2. ſerm. 1. c. 4.

Gal. 2. prog. 4.

Aluus combuſta pauca egerebat-- Vt alui excrementa aduſtionem, ſic vrinæ tenues decolores, cruditatem præſeferebant. Galenns in quadam, quæ apud Pantimedem degebat, & febre ardente laborabat, cruda verò excrementa, crudaſque eiecit vrinas, ſuſpicatur, in tota mole corporis biliosum fuiſſe aceruatum humorem, in primis autem venis lactium, & ſimis iecoris

G. 3. epid. ſect. 2. ægro, 10.

cru-

cruda contenta. Et quia crudæ erant vrinæ, vt crudæ deiectiones, ait, non ſolùm in primis venis, ſed etiam in gibbo iecoris, crudos humores abundaſse. In preſcente, quoniam deiectiones erant bilioſæ, & vrinæ crudæ, dicemus in parte concaua iecoris fuiſse bilioſa, quæ per inteſtina mittebantur: in gibba autem cruda, quæ per vrinam. Niſi magis velimus dicere fæces, tinctas multa bile, ad inteſtina deſcendiſse, ſerum autem humorum, propter bilioſam portionem, ad caput raptam, remanſiſse ſine colore, ac propterea, ait, fuiſse vrinas decolores, ſignum aſcendentis materiæ ad caput.

Multum delirauit, & rurſus reſipiſcebat-- Non erat adhuc phrænesis, propterea delirium non erat continuum. Et hoc eſt notatu dignum, quoniam pars bilioſi humoris craſſior, fæcibus admixta, per aluum deſcendebat, iccirco fęces erāt aduſtæ, portio verò ſubtilis ad caput aſcendebat, ideo vrinæ remanebant decolores, ac quoniam hæc pars ſubtilior in cerebri raritate non poterat permanere, efluebat, ac proinde non faciebat abſceſsum, ſine abſceſsu autem nondum eſt facta phrænitis.

Octaua ſuper riguit -- Infauſta valde fuit hæc octaua dies, in qua omnia, quæ antea aderant, longè grauiora ſunt reddita. Habuit de nouo rigorem, quem non fuiſse ſalutarem, preclarè innuit, dum ait *ſuper riguit, febris acuta* quippe *ſi ri-*
H. 4. aph. 46. *gor incidat*(inquit ſummus Dictator) febre nō deficiente ægro iam debili, lethale eſt. Non defecit febris, imò creuit (nam cum Hippocrates ait *febris acuta*, ſignificat febrem exacerbatam, nam

aliàs

aliàs iam antea febris erat acuta) ſi febris increuit in rigore, vel poſt rigorem, certè rigor lethalis fuit, pręcipuè ægro iam debili; debilitas namque ex octo dierum vigilijs, deiectionibus, laboribus, pro hypotheſi habetur.

Sed cur non fuit rigor ſalutaris? nonne, *à cauſone habito, rigore ſuperueniente ſolutio?* Mulier iſta cauſone, hoc eſt, febre ardente erat appræhenſa, nihilominus rigor non potuit criticus appellari, ſubinde, nec morbi iudicationem, ſolutionemq; afferre. Non fuit autem criticus, tum quoniam non pręceſſerunt coctionis ſigna, tum quia incidit die octauo, qui decretorius non eſt, tum denique quoniam nullam habuit ſubſequentem euacuationem, vt alui fluxum, ſudorem, vomitum biloſum; hęc enim, non rigor, ſunt, quę febrem ſoluunt, vt Galenus in commento, & alibi dixit. *H. 4. aph. 58.*

Glande ſubdita exurgebat. Hoc ſuppoſitorium fuit ad expurgandas fæces προϑέτα, βάλανον, appoſita hęc ſuppoſitoria glande, crebrò exurgebat ad deijciendum, quod atteſtabatur magnam humoris mordacitatem: acquiſiuit enim materia per aduſtionem empirrheuſin, quæ mordax eſt. Porrò iſta empirrheuſi, tam erat in fæcibus, quę per aluum deijciebantur, quàm in vaporibus, qui ad caput aſcendebant, proinde crebro exurgebat ad deijciendum, ob mordicationem in inteſtinis, & ſimul *ſomni non aderant*, ob mordacitatem in cerebro, accedit, quod crebra exſurrectio occaſionem dormiendi auferebat. Fuit autem hęc euacuatio tam multiplicata in quantitate, quàm in numero, ideo non

ſolum

ſolum *crebro exurgebat*, ſed etiam multa cum fluxione prodibant. Verumtamen ſine conferentia: quippe ſequente die, hoc eſt, NONA *conuulſiones ſuperuenerunt*, quod prauum quidem eſt, dicente Hippocrate, melius eſse febrem conuulſioni ſuperuenire, quàm febri conuulſionem. Conuulſio febri ſuperueniens praua erat, ſed multò deterior, quia ſuperuenit deiectionib. cum enim teſte eodem Hippocrate, *conuulſio*
H. 6. aph. 39. *fiat ex repletione, & inanitione*, ea, quæ ex inanitione fit, longè deterior eſt. Cæterum cum dicat Hippocrates, hanc mulierem paſſam fuiſſe conuulſiones, in numero plurali, exiſtimare debemus, paſſam fuiſſe non conuulſionem veram, in qua pars conuulſa rigida manet, ſed eam, quam aliqui ſpuriam appellant, Galenus non conuulſionem, ſed motum conuulſiuum, & Auicenna ſpaſmum non proportionatum ad materiam; fitque magis ex materia mordicante, quàm ex eadem vel implente, aut inaniente, ſiuè, quod idem apud me eſt, humectante, & exſiccante. Conſonant igitur omnia; ſiquidem acrimonia, quæ vigilias in capite, crebram deiectionem in ventre efficiebat, eadem in genere neruoſo potuit preſtare motum conuulſiuum.

Multa de conuulſione poſſem per parergon hic adducere, quæ commodiore loco pertracto. Sufficit nunc ſummatim ſcire, eam eſſe motum deprauatum, non ablatum, quamuis membrum conuulſum rigidum maneat, & videatur in motu: eſt quidem in motu, ſed in motu tonico, eſt motus deprauatus, licet in eo ita ſe

gerat

gerat muſculus, vt ſe gerit in motu ſecundum naturam, videlicet retrahendo ſe ad ſuum principium. cæterum in motu ſecundum naturam, operatur libertas voluntatis, in conuulſione, cauſa morbifica, fit enim conuulſio tota à cauſa præter naturam: neque enim eſt actio mixta, vt ſternutatio, & rigor, de quo ſuperiùs diximus, qui fit à cauſa præter naturam; & à natura irritata.

Decima parùm reſipiſcebat -- Non erat phrænitis, hoc eſt, non habebat delirium à cauſa permanente, ſed à vaporum aſcenſu, propterea delirabat, & reſipiſcebat. Cæterum, qui vidiſſet ęgrotam decima die aliquantulum reſipiſcere, & vndecima dormire, exiſtimaret, rem in melius progredi, & inciperet aliquid boni ſperare, verùm in magnis, & malignis ægritudinibus cunctandum eſt in prædictione, & euentus expectandus: quippe hæc ſtatim in fine vndecimæ ad delirium fuit reuerſa. Quæret fortaſsè aliquis, cur decima, & vndecima habuit aliquam quietem, delirium intermiſit, & recordata eſt? Erant iſti extremi naturæ conatus, quæ licet cum potentiſſimo hoſte pugnet, à quo victoriam obtinere eſt impoſſibile, ſed tandem victa concidet, nihilominus in pugna aliquem ſe ſe tuendi, licet per exiguum tempus habet locum.

Vrinam autem reddebat -- Cum medicus ad omnia attentus eſſe debeat, rectè in præſenti Hippocrates optimus medicus, immò optimus medicorum, in vrinatione duo conſiderauit, népe, ſymptoma circa actionem læſam, & aliud

G cir-

circa excreta. Actio erat deprauata: ſiquidem non reddebatur vrina naturali modo, ſed multam, aceruatam, cum conuulſionibus, & monentibus ijs, qui aſſiſtebant. Cur monentibus his? nunquid non pungebatur ab vrina? ſanè vrina, vti cætera, debuit eſſe mordax, verùm mens ægrotabat, ac proinde ægra, preſente doloris cauſa, dolorem non ſentiebat, & obliuiſcebatur meiere, poſtea admonita, reddebat multam aceruatam. Sic diximus de reſpiratione, ſic de potu: æger enim mente laborans obliuiſcitur reſpirare, & poſtea vna reſpiratione magna, ſupplet vicem multarum, ſic bibere obliuiſcitur, & ſi admoneatur vt bibat, multum ſimul, & tumultuario bibit. Iccirco reddebat aceruatam multam, quia non niſi admonita eam reddebat. Cæterum hoc magis pertinet ad mentis læſionem, quàm ad veſicæ: quod autem reddebat vrina, cum conuulſionibus, cauſa eſſe poteſt, quod vterus veſicæ nimium propinquus, aliquantulum præter fluente per vicina loca vrina, pungebatur, trahenſque in conſenſum vniuerſum genus muſculoſum, conuellebatur. quamuis autem rarum eſſe, dicat Galenus, ex vtero conuulſiones fieri, fiunt tamen, præcipuè motus conuulſiui, quales ſunt epilepticorum. Vel dicendum, partes illas circa vterum ex mictione recipere aerem, cuius frigiditate conuellerentur, & traherent reliqua in conſenſum, atque hæc de actione vitiata.

Excretum etiam vitioſum erat. Erat quidem alba, & turbata, veluti vrina, quæ multo tempore fuit repoſita. Albus color, vel pituitam ſignificabat,

ficabat, quod aliquis poſſet exiſtimare, nam ſomnus vndecimæ diei poteſt fuiſſe ex colliquata à calore pituita, quæ cerebrum irrigauit, & ſubinde ſomnum inducit, hoc pituitoſi humoris colliquamentum potuit per vrinas excerni, ac ita erant vrinæ albæ, ſed ob efferueſcentiam à calore febrili erant ſimul, & turbidæ. Verùm non exiſtimo, poſt tot dierum igneum calorem tantam relictam fuiſſe pituitam, quæ huiuſmodi vrinas faceret, potuit pituita in principio liquari, in fine autem non aderat. Melius videtur dicendum, fuiſſe turbidas ob ebullitionem, albas verò, quia deerat bilis, à qua tingerentur, deerat, inquam, quia denuo ad cerebrum rapta, nouum excitauit delirium, maxime, quia erat veluti iumentorum, & capitis affectum ſignificabat.

Quod autem eſſet turbida, & turbida, remaneret turbida, prauum fuit, ſignum, triplicem enim turbidarum differentiam aſſignat Galenus, vel cum turbidæ mictæ ſunt, & paulò poſt reſident, vel ſemper turbide permanent, vel puræ quidem minguntur, poſtea verò turbantur. *Gal. 1. criſ. 12.* Quæ enim ſtatim reſidet, parùm aliquid inęqualis turbulentiæ ſupereſſe demonſtrat, quæ ſemper ſimilis remanet, vigere adhuc, quæ eſt in ſanguine, agitationem, oſtendit, quæ verò extra cōturbatur, debet adhuc incipere concoqui, hæc tertia omnium eſt peſſima, ſed illa media medium habet prauitatis locum; talis autem fuit iſta de qua loquimur, neque poterat pura mingi, & extra turbari, quoniam morbus erat iam adeò vltra progreſſus, vt non eſſet iam, cur ex-

pectaremus coctionem : erat ergo in ſumma agitatione,ac propterea,vrina erat micta turbida, & turbida perſeuerabat. Cumque eſſet iam vltra vndecimam diem, nullam habebat ſubſidentiam, ſignum manifeſtum, humores in venis exiſtentes, nullam à calore naturali culturam accepiſſe.

Circa decimumquartum diem-- Vbi ergo nulla erant coctionis ſigna, flatus multos abundaſse par eſt,qui, per membra inſinuati, varijs in locis palpitationes excitabant. Suſpicor etiam, has palpitationes factas, ex ebullitione ſanguinis in venis. Et profectò, quo magis progreſſus eſt morbus, eo materia magis turgentiam præſeferebat: quippe vapores, flatus, & ſanguis nunc in venis, & alijs corporis partibus palpitabant, mox inde ad caput ſanguine accedente, multiloquij erat cauſa, accedentibus amplius vaporibus bilioſis, augebantur deliria,ſecedebant omnia à cerebro, & reſipiſcebat, hæc ad intercurrentes neruos delapſam, aphoniæ cauſam præſtabant. Inter hos labores mulier conflictata ſe ſe ad vigeſimam perduxit, in qua, cum natura criſim moliri vellet,bonam efficere non potuit; nec enim erat in humore talis apparatus, qui ad bonam criſim conferret, quare victa tandem occubuit.

Hip. 3. prog. 1. Fuit autem dies vigeſima iudicatoria ad malum: quippe vt Hippocrates ait; *Febres indicantur ijſdem numero diebus, & ex quibus ſuperſunt homines, & ex quibus intereunt*. Hoc eſt vnius, & eiuſdem morbi terminum ad ſalutem, cum ſignis ſalutaribus, & terminum ad mortem,

cum

cum ſignis lethalibus eſse, eundem. Quamuis autem Galenus dicat, cum vno ſigno quoſdam citò mori, quoſdam tardè liberari, hoc nihil prædictæ ſententiæ aduerſatur: Nam loquitur de identitate ſigni, non de identitate morbi. nam ſi ſedimentum apparuerit farinaceum in morbo acuto, mors breui ſequetur, in longo, tardè liberabitur. Occubuit mulier iſta die vigeſimo decretorio celeberrimo, cuius perfectionem alibi cum Galeno declarabimus. *Gal. 7. aph. 31.*



ÆGROTVS QVINTVS.

EPICRATIS vxorem, quæ decumbebat apud Archegetem, partui iam propinquam rigor fortiter corripuit, non incaluit velut dicebant. Et poſtridiæ eadem erant. Tertia die peperit filiam, & alia omnia iuxta rationem venerunt. Poſtridie à partu febris acuta eam inuaſit, cordis dolor, & muliebrium partium, Vbi verò glandem ſubdidiſſet, hæc quidem leuiora facta ſunt, capitis autem, & colli, ac lumborum dolor. Somni non aderant. Ab aluo modica, bilioſa, tenuia, pura prodibant. Vrinæ tenues ſub nigræ. Sexta die, à quo febris ipſam corripuit, ad noctem delirauit. Septima, omnia exacerbata ſunt, vigilans delirauit, ſiticuloſa, ſeceſſus omnes bilioſi abundè colorati. Octaua ſuperriguit, plus dormiuit. Nonna per eadem. Decima crura laborioſè dolebat. Cordis dolor rurſus, capitis grauitas, non delirauit: magis dormiuit: aluus reſtitit. Vndecima ſudauit, minxit melius colorata, multam ſubſidentiam habentia: leuius degebat. Decimaquarta ſuperriguit: febris acuta. Decimaquinta vomuit bilioſa flaua ſatis multa. ſudauit, ſine febre. Ad noctem febris acuta: vrinæ craſſæ ſubſidentiam albam habentes. Decimaſexta ad noctem exacerbata eſt, & cum moleſtia, non dormiuit, delirauit. Decimaoctaua ſiticuloſa, lingua combuſta eſt: non dormiuit: multum delirauit: crura dolebat. Circa vigeſimam

mam

mam mane parùm riguit, ſoporoſa quiete dormiuit, vomuit bilioſa; pauca nigra. Ad noctem ſurditas. Circa vigeſſimamprimam lateris ſiniſtri grauitas, per totum cum dolore;parum inſuper tuſsijt. Vrinæ craſſæ, turbatæ, ſub rubræ, quæ depoſitæ non ſubſidebant: cætera, leuiora,non ſine febre.Statim ab initio fauces dolebat, rubor aderat: columella reuulſa, fluxio acris mordax, ſalſa, perpetuò perſeue rabat. Circa vigeſimamſeptimam febri libera,in vrinis ſubſidentia:latus dolebat. Circa primam,& trigeſimam febris corripiebat: aluus ex bilioſis turbata eſt. Quadrageſima die vomuit pauca bilioſa.Iudicata eſt perfecte libera à febre octogeſima.

Partui iam propinquam -- Similem morbum,& ferè eadem ſymptomata habuit vxor Philini, & vxor Epicratis,de qua nunc agitur,ſola differentia eſt in principio,& fine. Principium illius fuit poſt partum, iſtius ante partum, finis illius fuit mors,iſtius ſanitas. Vtraque bilioſis humoribus permixtis cum pituitoſis ſcatebat, ſed in hac plures aderant pituitoſi, quàm in illa. Signum huius rei inter alia eſt rigor prima, & ſecunda die,à quo non incaluit: Veriſimile enim eſt,hunc rigorem à pituita vitrea fuiſſe factum, quippe ſi à bile,nō potuiſſet nō incaleſcere. Sed nonne diximus antea cū Galeno, antiquos non cognouiſſe rigorem ſine febre? ita eſt, & Galenus iccirco appoſuiſse Hippocratem, *vt ferebant*, propter rei nouitatem. Profectò non videtur credibile, eos omnino non cognouiſſe rigorem ſine febre, ſed rarum eſse exiſtimarunt, quod Galenus refert ád illius ſæculi frugalitatem. Cæterùm quoniam pregnantes, ob vitioſos ſuccos in ventri-

culo aceruatos, pica ſoleant laborare, praua edulia ſemper appetunt, præcipuè fructus, & & res acerbas, potuit ergo contingere huic mulieri, quod contigit adoleſcenti, nempe, rigor ſine febre ex eſu glandium viridium ex palmulis collectarum, iſta potuit acerbos fructus, aut ſimilia in cibo vti, vnde & rigor, quem Galenus ſpontaneum vocat; cæterum licet ex prauo ſit victu, ſpontaneus tamen eſt, nam non ſpontaneum ſolum dicemus eum, qui fit ex aſperſione aquę frigidę, occurſu frigidi aeris, combuſtione, medicamento acri vlceri impoſito.

Tertia die peperit filiam -- Cum prius dixiſſet partui eſſe propinquam, ſignificauit eſſe extra octauũ mẽſem, in quo menſe ſi fætum emiſiſſet, abortus foret, ſed poſtquam octauus præterijt, & ingreſſus eſt nonum, partus fuit perfectus, non diffeteor fuiſse aceleratum, propter concuſſionem rigoris, nihilominus iam fuit in tempore opportuno, & quemadmodum cùm fructus in arbore iam maturitatem eſt aſsequutus, parùm refert, an vento concuſsus cadat, an manu colligatur. Ita etiam, maturo iam exiſtente, fætu, nihil refert, an fuerit ab aliqua cauſa præter naturam partus prouocatus, an ex ſolius naturæ lege accerſitus. Illud exiſtimo fauſtum fuiſse, quod *omnia iuxta rationem euenerunt*, nempe ſecundas emiſit, & puerperia proceſserunt, vt par erat. Hæc purgatio non potuit non eſse vtilis, & ſanguinis miſſionis vicem ſupplere.

Poſtridie à partu -- Cęterũ in corpore admodum cacochymo, & iam ferè ægrotante parien-

di labor, & dolor ignem accenſit in humoribus crudis, & bilioſis, ac proinde febris acuta fuit excitata, cum defluxu putreſcentis iſtius humoris ad vterum, & lumbos, & circumuicinas partes. Non narrat purgationes ceſſaſse, vt ceſſarũt in Philini vxore, ſi ceſſaſsent, non poſſent non plegmonem in vtero excitare, nihilominus vterus violentiam in partu maximam paſſus, indoluit; reliqua omnia, vt in præcedente, grauia apparuerunt per decem dies, ita vt ſimilis euentu, timendus foret. Sed inter alia quæ habuit peſſima, fuerunt vrinæ tenues ſubnigræ. Diceres tinctas ex purgationibus, ſed ex his apparere ſolent ſanguineæ, grumis plenæ, craſſæ, tenues ſubnigras prauas eſse diximus, tum ob tenuitatem, tum ob nigredinem, exiſtimo aliquam humoris nigri portionem eas tinxiſſe.

Sexta die à quo febris -- Diſtinctè loquitur, & ne aliquis exiſtimet, ſextam diem eſse à partu, ait, ſextam diem à febre, quæ fuit à partu octaua, numerat autem à febre dies, non à partu, vt indicet partum iſtum fuiſſe naturalem, ac proinde computandos eſſe dies ab aggreſſu febris; ſexta ergo die, & ſeptima magni incendij ſigna apparuerunt, delirauit ſexta, & vigilans deliranit ſeptima, hoc eſt maiori delirio erat afflicta: nam cœpit inter dormiendum delirare, poſtea etiam inter vigilandum, hoc delirium, cum vigilia, ſitis, qua premebatur, & deiectiones abundè coloratæ, hoc eſt multa bile ſaturatæ, adurentis caloris ſoboles erant, ſicut etiam rigor octaua die ſuperueniens.

Cru-

Crura laborioſè dolebat -- Hoc habuit nouum, quod cæteris malis nona die acceſſit, nempe, dolorem crurum, qui potuiſſet eſſe vtilis, decumbente materia ad partes inferiores, verum adhuc nulla conſpiciebatur conferentia, nam omnia grauia perſiſtebant: ſiquidem ſimul cum dolore crurum, aderat cardialgia,& capitis grauitas, ſed hoc ſolùm bonum habuit, quod non deliraiut: quippe cùm materia eſſet mixta, ex bilioſa,& pituitoſa,bilioſa ob ſuam tenuitatem, & irrequietam conditionem ad ventriculi os, & ad crura ſe ſe contulit, pituitoſa remanens in capite, minùs excalefacta, grauitatis ſenſum impreſſit, ſomnumque conciliauit, iccirco ait, *magis dormiuit, aluus reſtitit*, quia; nempe, iuxta partes, ad quas materia ſe conferebat, ſymptomata eueniebant, contulit ſe ad ventriculum, & crura, dolebant hæ partes, deſeruit caput, & inteſtina, præbuit locum ſomno; & non dedit occaſionem irritationi: quare ægra magis ſomnolenta, & minùs irritata, dormiuit, & aluus ei reſtitit.

Vndecima ſudauit -- Quemadmodum, ſi poſt horrendam procellam, & aeris obſcuritatem, ſydus aliquod appareat, lætantur nauigantes,ita debuit lætitiam afferre ſignum bonum, quod in hac vndecima die primum apparuit, nempe, vrina, & in colore, & in contentis melior, de ſubſtantia non dicit, ſed credibile eſt hanc quoque fuiſſe ſatis laudabilem. Hoc ſemper in febribus obſeruate, cuncta ſigna bona cum vrinarum prauitate nullam fidem merere, & è contrario, cuncta ſigna praua cum vrinis bonis,

nis, non omnino eſſe terribilia. Non negabo
in valdè peſtilentibus, vrinas apparere bonas, & tamen ægrotantem perire, nihilominus, ſiquid in medicina eſt, cui fides ſit habenda, ſunt coctiones, quas ſecuritatem ſignificare, dixit Hippocrates.

Conſiderare oportet in hac die vndecima, die ſatis conſiderabili, fuiſſe ſudorem, fuiſſe vrinam, meliorem, quam antea, fuiſse conferentiam: ſiquidem, *leuius degebat*. Duo erant diuerſa, nempe, cauſæ, & ſigna, vtraque decretoria, cauſa fuit ſudor cum conferentia, ſignum vrina, cumque dies vndecima ſit, & decretoria, & indicatoria, quatenus decretoria habuit euacuationem, quæ potuit morbum iudicare, ſed non perfectè, quia habuit vnam conditionem, alteram non habuit, nempe, habuit hanc, quod fuit in die decretorio, non habuit illam, quod fuit cum præcedentibus coctionis ſignis; nullam enim prius coctionis fecerat mentionem. Et ita ſudor fuit quidem euacuatio proficua, ſed non multum, & propterea, vt videbitis non perſeuerauit ſubleuatio, ſed ſtatim priora redierunt.

Quatenus dies indicatorius, habuit vrinam, quæ decimamquartam, & decimamſeptimam bonam poterat polliceri, bonus enim color, prima bonitas eſt in vrina, neque enim, à multo bilioſo humore reddita erat valdè ſaturata, ſubſidentia eſt ſignum ſequeſtrantis naturæ vtile ab inutili, erat tamen ſubſidentia multa, meliùs fuiſſet, ſi per gradus accederet, & prius apparuiſſet nebula, poſtea æneorema, tandem hypoſthaſis. Adducor igitur, vt credam, non fuiſſe ve-

ram hypoſthaſim, hoc eſt, concocti humoris portionem, ſed potius pituitoſum humorem, ſimul cum vrinis eiectum, quæ eas reddidit melioris coloris, ac deinde, repoſita vrina, ſuo pondere fundum petijt. Confirmor in hac ſententia, quia, ſi vera eſt hypoſthaſis in vndecima, non potuiſset non morbus decimaquarta, aut, ad ſummum decimaſeptima, iudicari, & tantùm abeſt, quòd hoc euenerit, vt potius ad quadrageſimum morbus fuerit protractus. Igitur pluris faciendus fuit ſudor, quàm vrina, quippe ſudor præſens aliquod bonum attulit, nempe, vt aliquantiſper ægra ſubleuaretur, vrina non iudicauit rectè: Nam decimaquarta, non ſolum non fuit ſequuta liberatio à febre, ſed potius rigor non decretorius: iam enim audiſtis, rigorem non eſse vtilem, niſi ſecum afferat aliquam euacuationem, ſed nullam attulit, immò, *decimaquarta ſuperriguit febris acuta*, hoc eſt, ad rigorem non ſequuta fuit refrigeratio, ſed excalfactio, contra normam boni rigoris.

Decimaquinta-- Sudor, & ſubleuatio à febre, quę die decimaquarta euenire debuerat, euenit decimaquinta, & tanta eſt dierum criticorum dignitas, vt, quoniam hæc ſubleuatio extra diem criticam euenit, durabilis non fuit, hoc tamen habuit bonum hæc febris, quod aliquoties quieſcens, inducias præbebat, ac proinde ægrotantis vires reficiebantur.

Ad noctem ſurditas--Poſt nigram vomitionem ſurditas acceſſit, quam Autor Coacarum non timet, inquiens *in nigris vomitionibus ſurditas non non nocet*, quam ſententiam nec Hollerius, nec

Du-

Duretus recipiunt, ſed tanquam falſam reijciunt. nam in prorrheticis æruginoſi vomitus ſimul cum ſurditate, ad inſaniam perducere dicũtur, & Galenus ibidem, æruginoſos viam eſſe ad nigros, quare ſi æruginoſi praui ſunt, prauiores ſunt nigri. Vomitus fit per conſenſum à cerebro; quando igitur cerebrum eſt occupatum, vt ſurditas oſtẽdit, eſtq; occupatũ ab atra bile, vt oſtẽdit vomitus niger, ſperãda eſt inſania vehemẽs.

Hoc quamuis ita ſe habebat, tamen in hac muliere delirante ob atram bilem, quæ cerebrum occupabat, & ventriculum ad vomitum proritabat, ſurditas aliquid profuit, quia humor, à cerebro ad auditorios meatus detruſus, minùs nocere poterat, quàm ſi in cerebro permanſiſſet. Fuit igitur in die vigeſima hæc ſurditas critica, hoc eſt, veluti quidam abſceſsus, factus à natura expellente materiam prauam, ex membro magis principe ad minus princeps. Itaque vel ſurditas fit, exſoluta facultate, & tunc eſt lethalis, quod in præſente non eſt dicendum, nam ex alijs ſignis cognoſcimus, facultatem non eſse penitus exſolutam, vel eſt firmata, & antiqua, & hęc prorſus eſt incurabilis. Vel ſuperuenit febri, ſi ſuperueniat initio febris, tunc: *ſurditas in acutis turbulentis mala*, ſic Clazomenius à principio obſurduit, & quarto die deſipuit. Et Hermocrates, qui mox obſurduit, quinto delirauit, & Phyliſta, qui ſecundo obſurduit, & eodem circa meridiem inſanijt. Cum ergo turbulentiæ fiant in principio, augmento, & ſtatu, in his temporibus ſurditas raptum humoris ad caput indicat, eſtque prauus turbulentiæ affectus.

1. pror. ſect. 1. 32. & 6. epid. ſec. 5. tex. 13 & in Coac.

At

At Epicratis vxor, de qua agimus, in vigeſima die erat conſtituta, vrinæ reductæ ad meliorem frugem, omnia ſedari incæperant, quare magis ex adueniẽte ſurditate delirij ſolutionem, quàm delirij aduentum poſſemus prædicere. Vidi multoties ſurditates in acutis peſſimas, & quarum conſentanea erant deliria. Vidi pluriès delirantes, ſurditate ſuperueniente, liberari. Quid ergo ſperandum ex hac ſurditate, contingente iam iuxta declinationem? nempe, ſuperuenturum, vel ſanguinis è naribus fluorem, vel alui fluxum ex quibus morbus ſoluetur, ſic Hippocrates, *quibus in febribus aures obſurduere, his ſanguinis è naribus profluens, aut perturbata aluus morbum ſoluit*; ſanguis è naribus non fluxit, ſed propè morbi ſolutionem, videlicet, circa trigeſimam primam, aluus bilioſis turbata eſt, & quadrageſima fuit iudicata. Sed quæret aliquis, cum criſis fieri ſoleat manifeſtis euacuationibus, quænam fuit euacuatio, per quam iſta mulier fuit iudicata? nempe bilioſa deiectio, quæ trigeſima prima incepit, tùm vomitus bilioſus, qui quadrageſima die accidit. At reſpondebit, vomitum fuiſſe exiguum. ita eſt; ac propterea iudicatio fuit imperfecta: quippe per alios quadraginta dies cum febre tranſegit, donec octogeſima tandem die perfectè à febre fuit libera. Ita vt, cum morbi ſoluantur, & per iudicationem, & per ſimplicem ſolutionem, hic morbus vtroque modo fuit terminatus; per iudicationem quidem, ſed imperfectam, ideo quadrageſima iudicata eſt per ſimplicem tandem ſolutionem, octogeſima perfectè à febre libera.

Hip. 4. aph. 60.

Occurrit in hiſtoria vnùm dumtaxat magni momenti conſiderandum, videlicet, Hippocratem vrinarum boni coloris, & ſubſidentiam habentium in hac ægrotante mentionem feciſſe, quod non feciſſet, ſi illi fluerent conuenienter lochia, ideſt, puerperia, nam tunc multo ſanguine conſpurcatæ vrinæ, vix medicis conſpiciendæ offeruntur. Habuit ergo ſuppreſſas purgationes, & hoc etiam indicant varia ſymptomata, quæ in hac hiſtoria narrantur, omnia puerperiorum ceſſationem teſtantia, quomodo igitur potuit euadere, purgationibus iſtis non ſuperuenientibus? nam mulier moroſa, ſuperuenientibus purgationibus menſtruis, euaſit. In hac Epicratis hiſtoria ſcimus purgationes ceſſaſse, quòd (vti diximus) teſtantur vrinæ puræ, & ſymptomata ſuperuenientia; non conſtat autem has purgationes ſuperueniſse, neque enim id ſilentio, prætermiſiſſet Hippocrates. Mihi videtur Hippocrates, venam ex talo, aut ex poplite huic mulieri ſecari iuſſiſſe, & fortaſse non ſemel, ſed pluriès, at ſanguinis miſſio ex cruribus, vel prouocat purgamenta vel ſaltem ſupplet eorum vicē, miſit ſanguinem huic mulieri, & miſſione ſanguinis ſuppleuit purgationes, atque iccirco, non ſuperfluentibus purgationibus, potuit liberari. Non meminit, autem venæ ſectionis, quoniam non ſolet curationem narrare.

ÆGRO-

ÆGROTVS SEXTVS.

CLEANACTIDEM, qui ſupra Heracleum decumbebat, febris corripuit erroneo modo. Dolebat autem caput abinitio, & latum ſiniſtrum: & aliarum partium dolores aderant laſſatorum modo. Febres exacerbabantur aliàs aliter inordinatè. Sudores quandoque, quandoque non. Exacerbationes vt plurimum in iudicatorijs diebus magis accedebant. Circa vigeſimamquartam ſummas manus dolebat. Vomuit biliosa, flaua, ſatis multa: paulo poſt autem æruginoſa. Ab omnibus alleuatus eſt. Circa trigeſimam ſanguis ex vtriſque naribus erumpere cæpit, atque hoc erroneo modo paulatim, vſque ad iudicationem. Non autem faſtidiebat cibum, neque ſiticuloſus erat per totum tempus, neque in ſomnis. Vrinæ tenues non decolores. Circa quadrageſimam minxit ſubrubra, ſubſidentiam multam valde rubram habentia: alleuatus eſt: poſt hæc autem vrinæ variæ quandoque ſubſidentiam habebant, quandoque non. ſexageſima vrinis ſubſidentia multa, & alba, & læuis. Remiſerunt omnia: febres intermittebant. Vrinæ tenues quidem, verùm boni coloris. Septuageſima à febre liber permanſit diebus decem. Octogeſimo riguit, febris acuta corripuit: multum ſudauit. Vrinis ſubſidentia rubra, læuis, perfectè iudicatus eſt.

Febris corripuit erroneo modo-- Miratur Mercurialis, cur inter conſtitutionis peſtilentis ægros, qui

qui tunc fuerunt, recenſeat hunc, qui nulla habuit peſtiferi morbi indicia, ſed ſtatim ab initio longioris morbi, & ſalutaris præſetulit argumēta. Miror ego Mercurialem, qui in hoc ægro maligni, & peſtilentis morbi ſigna non cognouerit; fuerunt quidem, quorum non pauca ab Hippocrate narrantur, vt nos ſingula perſcrutantes, monſtrabimus. Interim ſine dubio ſcitote, illud, quod idem ait, nempe, in Peſte quoque fieri morbos non peſtiferos, falſum eſse, immo peſtiferæ, ſeu peſtilentis conſtitutionis hoc proprium eſse, vt omnes morbos ad ſe conuertat. Et ipſemet Mercurialis, inter alia ſigna peſtis, hoc præcipue tradit, quod omnes morbi in idem genus conuertantur, & deſinant. Marſilius Ficinus in ſuo antidoto affirmat, tempore peſtis, nullam præter peſtem, ægritudinem apparere. Et Andreas Gallus, ait, cum peſtis vires in vna regione vigent, quicumque morbus tunc acciderit, etiam ſi puer vermibus moleſtetur, peſtifer erit. Conſonat his Thucydides, qui in ſua peſtilentia ſic eueniſse narrat: *Si quis antea aliquo morbo laborabat, in hunc omnia conuertebantur*. Ægrotauit igitur Cleanactes, grauiter, ſed morbus in progreſsu mitior fuit redditus, quare æger euaſit; neque enim in quamtumuis horrenda peſtilentia omnes moriuntur.

Merc. in prælect. de peſte c.7. Ficin. in antid. c. 4.

Corripuit igitur Cleonatiden πῦρ, ignis, hoc eſt, febris magna, & vehemens, vt intelligatis, hanc ſua magnitudine præcedentibus non eſse inferiorem, exacerbationes erant erratico modo, hoc eſt, non ſibi inuicem reſpondentibus

pari lege repetitionibus, hoc tamen non tollit, quominus fuerit continua: nam continuæ proportionales ſuas repetitiones habent, reſpondentes repetitionibus intermittentium, poſſuntque eſse vel tertianariæ, vel quartanariæ, vel ſingulorum dierum, vel tandem inordinatæ, quas vocant medici erraticas, Hippocrates πλανῆτας, in præſente verò πεπλανημένως hoc eſt, erranter. Celſus has febres incertas vocat, intelligite, incertitudine paroxyſmorum, quod Galenus declarat; quod eſt nullo circuitus ordine, vt nunc v. g. tertio, vel quarto quoque die febricitaret, nunc quinto, vel ſexto.

Dolebat autem caput -- Multum referret, ſi nobis explicaret huius doloris cõditionem, vtrum, ſcilicet, fuerit acutus, an pulſatorius, an vero grauatiuus, & vtrum in poſteriore, an in anteriore capitis parte, num fixus, & continuus an qui euaneſceret, aut repeteret. Quid hæ differentiæ ſecum portent, nos explicabimus, interim memores eſtotè, raro eſſe febrem, in qua caput non doleat; cum enim, vt Hippocrates ait, concauum ſit, & veluti cucurbita corpori incumbat, ad ſe trahit, & illuc corpus vapores omnis generis, teſte eodem, demittit, quare rectè appellari ſolet totius corporis caminus, & ex conſequente, quando in corpore incendium viget, neceſſe eſt, vt in camino fumus ſuperfluat. Sunt aliqui (ſed rarò) quibus caput adeo robuſtum eſt, vt nunquam illis doleat.

H. 4. de morb.

Hip. de gland.

Et latus ſiniſtrum -- Galenus de difficultate reſpirationis, ex hoc lateris dolore colligit, hunc ægrotum difficilem habuiſſe reſpirationem, tamen

Gal. 2. diff. rec. 10.

men id omiſſum ab Hippocrate, vt pote valde manifeſtum. Et quidem videtur, ſimul cum lateris dolore ſemper paruam, & frequentem adeſſe reſpirationem, tamen nec propterea credatis fuiſse pleuriticum, nam alias tuſſis excreatur, quod præcipuum eſt inter pleuritidis ſigna, mentionem feciſſet.

Et aliarum partium dolores aderant laſſatorum more -- Cùm non ſit vna tantum laſſitudinis ſpecies, nec vnus tantum omnium laſſitudinum dolor, oportebat, vt nobis ſignificaret, fuerit ne dolor tenſiuus, an grauatiuus, an compoſitus ex vtroque, & hunc tertium magis fuiſse exiſtimo: quippe cõſentaneũ eſt Cleanactidẽ, vt alia ſigna oſtendunt, & plenitudine, & cacochymia laboraſſe, ac ſubinde affectũ habuiſse phlegmonosũ.

Vt plurimum iudicatorijs diebus -- Proprium eſſe peſtilentium in diebus decretorijs exacerbari, decretum eſt à Galeno, quod cum Cleanactidi euenerit, mirum eſt quod Mercurialis, immò & Galenus ſalutaria omnia in hoc ægrotanti inuenerint, forſitan magis ex euentu, quàm ex rationis norma iudicantes. Cùm ergo omnibus morbis commune ſit, decretorijs diebus agitationem pati, hæc in ſalutaribus victoriam naturæ attribuit, in maliguis eandem, vel proſternit, vel ſatis fatigat, ita vt ſalubres diebus criticis, meliùs habeant, inſalubres autem deteriùs.

Sanguis ex vtriſque naribus -- Præcedens capitis dolor aut vomitum, aut ſanguinis fluorem è naribus ſignificabat, vtrumque accidit, Vomitus, quidem, non ob culpam ventriculi: nulla, enim in eo erat noxa, quod conſtat, quia nec ſi-

ticuloſus erat, neque in appetentiam patiebatur. Quare miror Valleſium, qui huius mali mineram in ventriculo conſtituit. Si verò quæratis ab eo, cur nec ſitim, nec inappetentiam ſtomacho læſo? reſpondet id accidiſse, quia multus, & crudus, frigiduſque humor erat. Sed hoc præter rationem eſt dictum, nam ab exeuntibus cognoſcimus, bilioſos potius, quàm pituitoſos fuiſſe humores, deinde humor multus, licet, crudus, & frigidus, inappetentiam facere eſt aptus, vel ſaltem famis carentiam, quippe nec inanitio, nec diuulſio tunc ſentitur. Multò minùs mihi placet, quod ait, humores fuiſſe non ſolùm in capacitate ventriculi, ſed etiã intra eius tunicas: at tunicę ventriculi humore excremẽtitio imbutæ, poſſunt non excitare nauſeã, vti cauitas vomitũ.

Exiuit igitur ſanguis copioſus, quæ laudatiſſima eſt euacuatio in ardentibus febribus, dico copioſum, quia ſi fuiſſet ſtilla ſanguinis, id declaraſſet Hippocrates, vt in alijs fecit. Caput igitur ob repletionem totum doluit, propterea per vtramque narem ſe exonerauit. Erat hoc opus naturæ circa materiam morbificam, ſatagentis, cumque adhuc non adeſsent ſigna coctionis, magis impetu, quàm lege ſua ducebatur, ac proinde inordinati erant motus, & ſanguis inordinatè fluebat. Et fortaſsè quia febris erroneo modo affligebat, in qua etiam erroneo modo ſolent rigores accedere, omnia etiam alia erroneo modo ſe gerebant, inæqualitatem materiarum atteſtantia. Durauit tamen iſthæc euacuatio vſque ad diem criſis, nempe, natura peruices ſe ſe exonerante, & quod vnicâ expul-

ſione

ſione præſtare nequiuit, pluribus multiplicatis præſtitit.

Minxit ſubrubra -- Ex hac vrina, poterat medicus ſanitatem polliceri, addito tamen in prognoſi, quod adhuc duraturus fuit morbus, vt re vera accidit: ſiquidem quadrageſima die has vrinas ſubrubras cum ſedimento valde rubro minxit, & morbus ad octogeſimam fuit prorogatus, perfectè tamen iudicatus.

Multum ſudauit -- Mirum, quod ſudore fuerit iudicatus, cùm tamen multiplex adſit ratio, ob quam abſceſsus foret ſperandus; tùm quia febris erat laborioſa, in qua Hippocrates fieri abſceſsus ſic ait, *laſſitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potiſſimùm abſceſsus fiunt*. tùm quia erratica continua: ſicut enim erratica intermittens abſcedit in quartanam, ſic continua in articulorum tumores, vt Galenus nos docet. Tum denique quia diuturna, dicente Hippocrat. *Quibus febres longæ, ijs tubercula, vel labores in articulis fiunt*. Attamen per totum morbum viſa fuit natura ad ſudorem inclinare, quapropter eam viam faciliorem inuenit. *H. 4. aph. 31.* *Gal. 3. criſ. c. 11* *Hipp. 4. aph. 44.*

Subſidentia rubra -- Perfecta iudicatio fuit, quàm pręcedere debuiſset ſubſidentia alba, vtpote perfectæ coctionis index, præceſsit rubra: quippe etiam hęc, vbi adeſt fortis naturæ contentio, ſufficit ad criticam expulſionem. In cuius rei gratiam animaduertite, ſexageſima die febrem, ex continua factam fuiſse intermittentem, quod idem eſt, ac ſi dicàmus, naturam redditam ſuperiorem potuiſse materiam, quę prius intra venas putreſcebat extra venas emit-

tere,& quolibet paroxyſmo portionem euincere. cùm igitur in paroxyſmo octogeſimæ diei expulſio facta fuiſset copioſa per ſudorem, videtur natura, & coctum, & ſemicoctum ſimul, parta ſemel victoria, expellere potuiſſe. Admoneo tamen vos, ne ex hoc ægrotantem addiſcatis, criſim breui futuram polliceri, cum adhuc ſedimentum non eſt vndequaque perfectum.

ÆGROTVS SEPTIMVS.

METONEM febris vehemens corripuit, lumborum grauitas doloroſa. Poſtridie; vbi aquam bibiſſet ſatis multam, ab aluo probè prodijt. Tertia capitis grauitas ſeceſſus tenues, bilioſi, ſubrubri. Quarta omnia exacerbata ſunt. Fluebat à dextra nare bis ſanguis modicus. Noctem moleſtè tulit. Seceſſus ſimiles tertiæ diei. Vrinæ ſubnigræ, habebant quiddam in medio innatans, ſubnigrum, diuulſum: non ſubſidebant. Quinta effluxit ex ſiniſtra nare ſanguis largus, merus. Sudauit iudicatus eſt. Poſt iudicationem in ſomnis delirabat. Vrinæ tenues, ſub nigræ. Capitis lotionibus vſus eſt: dormiuit: reſipiſcebat. Huic recidiua facta non eſt. Sed ſanguis erupit ſæpe etiam poſt iudicationem.

Lumborum grauitas doloroſa -- Pleroſque ex ægrotātibus illius tempeſtatis dolor lumborum comitabatur, quod in plenitudine contingit, repleta ſcilicet vena caua aſcendente, quæ per lūbos diſcurrit, & tenſionem cum grauitate faciēte. Febris igitur cum plenitudine ſynocha fuiſſe videtur, nempe, ex ſanguine iam quodammodo in bilem abeunte, propterea meritò aquæ potu copioſo eam Hippocrates curauit: quippe credibile eſt, ægrum, nonniſi iubente medico, potum largiorem frigidæ hauſiſsæ. Poterit tamen aliquis negare, medici conſilio fuiſſe vſum; quippe non dum aderant coctionis no-

tæ, quæ requiruntur à Galeno ad exhibendum aquæ potum.

Fluebat à dextra nare bis ſanguis modicus-- Quarta hac die, ſanguinem è naribus pigrè admodum egreſsum fuiſse, non eſset in bonis ducendum. Duretus exiſtimat pernicioſum ſignum fuiſse, & Metonem in magno periculo fore, ni Hippocrates lotione capitis vberiorem hęmorrhagiam prouocaſset. Verùm hoc ridiculum admodum eſt, nam quarta die apparuit ſanguis paulatim fluens, quinta fuit iudicatus, poſt iudicium manſit vigil, & delirus, ad quæ duo ſymptomata reſpiciens, lotione capitis vſus eſt, quid conferre potuit hæc lotio ad ſanguinis fluxum, qui iam antea die quinto fuit copioſus. Profecto, quemadmodum ſanguis parcè fluens, quia eſt diminuta euacuatio, ſi die decretoria contingat, prauum eſt: neque enim morbum poteſt iudicare, ita ſi contingat in die indicatoria bonum eſse poteſt, quaſi incipientis euacuationis indicium. ſic paucus ſudor in die indicatoria, copioſum ſudorem in decretoria pollicetur. Atque hæc ſunt ſigna, quæ Galenus ſigna ſimul, & cauſas appellat. *Alterum genus* (inquit ille) *non ſolùm ſignorum decretoriorum, ſed etiam cauſarum obtinet vicem. Sunt vero hæc vomitus, & excrementa alui, & multitudo vrinarum, & ſudores, & ſanguinis eruptiones, & parotides, atque alij decubitus*. Cęterum illud ſemper pro indubitato habete, ſecuriores eſse febres, in quibus natura nihil excernit, quàm in quibus pauca, & inutilia. Et huius rei triplex poteſt aſsignari ratio, prima, quia interim ſu-

Gal. 1. *criſ. c.* 14

ſpicio

ſpicio adeſt naturæ coctioni incumbentis, ſecunda, quia ſignum eſt materiam, nec copia, nec qualitate irritare, tertia, quia abeſt timor translationis ad membrum princeps, quæ tranſlatio fieri ſolet ex euacuatione tentata, ſed non peracta.

Noctem moleſtè tulit -- Non erat adhuc ſequuta euacuatio, caput autem, extranſmiſso in vapores conuerſo ſanguine, ſatis graue, nec ceſsabat natura, etiam per inferiora, deiectiones pręcedentibus ſimiles, expellere; vrina etiam ſecùm ferebat aduſti humoris portionem, multis flatibus permixtam, ſiquidem contenta non ſubſidebant.

Quinta fluxit ex ſiniſtra -- Quoniam vrina nigra, & nigrum vrinæ contentum magis ad lienē ſuſpicionem mali deferebant, ideo dicendum eſt, rectitudinem ſeruatam fuiſse, cum ſanguis fluxerit per ſiniſtram narē; fluxit, autem, copioſus, tum à natura tranſmiſsus, tum ab arte adiutus. Cæterùm duo hic occurrunt, in quibus medici mens hærere debet. Primùm factam fuiſse criſim, non vna, ſed duabus euacuationibus, valde inter ſe diuerſis, nempe, hæmorrhagia è naribus, & ſudore. Alterùm iudicationem iſtam fuiſſe perfectam; ſiquidem ſine recidiua; immò & Galenus perfectam fuiſse ait, & tamen pręcedētis coctionis nulla fit mentio. Quod attinet ad primam hæſitationem. Reſpondeo, in Metone naturam iam antea fuiſse ſanguinis fluori inclinatā, quem, cū perfeciſset, remanens exonerata, potuit aliā euacuationē ſalubriter tētare. Quod ſi vtraq; ſimul eſset, nullum foret inconueniens, *G. 2. diſfic. reſp. c. 10.*

impe-

impetu actam naturam, hanc illam ſuſcepiſſe viam; immò & artifex medicus in magno periculo multa ſimul, & diuerſa molitur, ſperans ſic naturam adiutam iri. Videndus eſt Galenus, qui vnam, vel plures ſimul euacuationes in criſi concedit. Quod attinet ad ſecundum, fuit, quidem perfecta criſis, non tamen vno impetu abſoluta; ſed per plures continuata; ſufficit, autem, quod præcipua euacuationis pars in die critica incipiat, vt poſtea, id quod ſubſequatur, vtile ſit. Si vero quæras, cur ſine præcedente coctione potuit criſis eſſe perfecta, reſpondeo ab Hippocrate, tamquam quidpiam rarum, fuiſſe hoc adnotatum: nam ait. *Huic recidiua facta non eſt* cuius rei cauſam exiſtimat eſſe, quia poſt iudicationem ſanguinis fluxus è naribus continuauit: quaſi hac euacuationis repetitione diminuta fuerit materia, adeò, vt non ſuperfuerit tanta, quæ potuiſſet febri fomitem præſtare. Et de ſanguinis fluxu ſpontaneo idem, quod de venæ ſectione fit, dicendum puto: duo de ſanguinis miſſione ſunt comperta, vnum ad hoc auxilium non eſſe neceſſariam coctionem, quod Auicenna inculcauit, alterum ſanguinis miſſione leuatam naturam ab eo, quo veluti ſarcina premebatur, ſui cōpotem remanere. Hęc eadem fluxui ſanguinis ſpontaneo accommodemus: nam, nec requirit antecedentem coctionem, & naturam à ſarcina leuat, vt poſſit, quod reliquum eſt, concoquere.

G.3.criſ. c.2.

ÆGRO-

ÆGROTVS OCTAVVS.

ERASINVM, qui habitabat circa Boötæ torrentem, febris vehemens corripuit poſt cenam. nocte turbatus fuit: diem primam quiete, noctem laborioſè tranſegit. Secunda omnia exacerbata ſunt, ad noctem delirauit. Tertia doloroſè, multum delirauit. Quarta moleſtiſſimè ad noctem nihil dormiuit. Inſomnia, & ratiocinationes: deinde peiora, & magna, & periculoſa, timor, moleſtia. Quinta mane reſipiſcebat, ac intelligebat omnia. Verùm ad meridiem multum inſanijt: continere ſe non potuit. Extremitates frigidæ, ſub liuidæ, Vrinæ inconcoctæ; circa ſolis occaſionem mortuus eſt?

Huic febres perpetuo cum ſudore: præcordia ſublimia: diſtentio cum dolore. Vrinæ nigræ, habentes quædam in medio ſuſpenſa, innatantia, rotunda, non ſubſidebant. Ab aluo ſtercora prodibant ſitis perpetuo, non valde. Conuulſiones multæ cum ſudore circa mortem.

Quamuis *poſt cænam* in febrem incidit, ne tamen iccirco exiſtimetis cum Mercuriali, cauſam procatarcticam huius febris fuiſſe opiparam comeſſationem in illa cæna, neque enim fieri poteſt, vt ſtatim à cibo aſſumpto, febris acceſſerit. Hanc ille ſibi difficultatem obijcit, & reſpondet ex Galeno, ex frequentato prauo-

rum

G. 2. de al. fac. c. de cucumere. rum eduliorum vſu, copioſos humores colli, qui qualibet leui occaſione febres κακοηθεῖς accendant, propterea in Eraſini corpore praui humores ex prauo victu cumulati, potuerunt, occaſione liberalioris cænæ, incaleſcere. Putat ergo, hanc hiſtoriam eſſe quaſi exemplum detrimenti, quod ſequitur ad errores commiſſos in cibo, & potu. Et profectò, ſi recte attendamus, Galeni mens non abhorret ab hac ſententia: ſiquidem, cum Eraſinus mortuus fuerit in fine quintæ diei inquit *quintus itaque ab initio quo diſceſſit, non numerato primo, quartus efficitur*. quaſi velit prima die fuiſſe febrem ephemeram, factam ex calore cænæ, propterea ex ſecunda die debere incipere computationem. Nihilominus melius mihi videtur, hanc hiſtoriam eſſe notabile exemplum repentinæ inuaſionis febrium peſtilentium. Cum enim nihil mali præſenſiſſet, & optimè cænaſset, nulla præeunte laſſitudine, nulla futuri mali ſuſpicione, ſubitò poſt cænam veneno, quod intus latebat, ſe ſe manifeſtante, grauiter cæpit ægrotare. Philiſta, ex longis potationibus caput grauiter
3. epid. ſect. 2. ægrot. 4. dolebat, poſtea quadam nocte dolor ſolito grauior eſſe cæpit, & *incaluit primum*. Adoleſcens Melibaæ ex nimio potu, & Venere diu calefactus decubuit, notate illud *diu*, quod præteritas compotationes ſignificat. Quidam alius incaluit, & poſtea cænauit, habuit ſcilicet ægrotandi occaſionem, & principium ante cænam. De Eraſino longè aliter nar-

ratur, videlicet, vehementi febre poſt cænam fuiſse correptum, neque adhuc cæna nocendi tempus habebat. Subitam vero malignorum inuaſionem ſignificauit Hippocrates enarrans peſtilentem conſtitutionem his verbis *ſacri ignes multi hos cum occaſione affecerunt, illos non, qui maligni cum eſſent, multos interemerunt*. cui conſonat Thucydides in enarratione peſtilentiæ ſuo tempore graſſantis. *alios ex nulla euidente cauſa, ſed ſubito cum ſani forent*. *H. 3. ep. ſect. 3. tex. 9.*

Fateor quidem magnum laborioſæ nocti attuliſſe ante actam cœnam, & melius habiturum ſi non cænaſset. Cæterum cum nulla impendentis mali habuiſset indicia, qui potuit à cibo abſtinere? cum ergo pleno ventri febris ſuperueniſset, anxietudines fuerunt maximæ. Si enim ſanis ventriculus, cibis grauatus, toti corpori δυσφορίαν quandam inducit, ob quam, vt habetur, patiens in lecto inordinatè iactatur. *2. acut. 22.*

Quamuis autem prima die, ceſsante noctis impetu, aliquantulum quieuit: neque enim paroxyſmus ad ſequentem noctem remiſit, ſed die declinauit, noctu reuerſionem fecit, vt hinc intelligatis, male Mercuriali hanc febrem continentem acmaſticam fuiſse dictam. Cur acmaſtica? quia ſcilicet, ait ille, ſemper in deterius vergebat. At impertinens eſt iſthæc ratio. Nunquid non moriuntur etiam homines ex continuis proportionalibus, quæ ſuas habent ſta-

tutas exacerbationes? immò maximè. Deinde ſciat oportet, acmaſticam non ita dici, quia ſymptomata in deterius vergunt: hoc enim pacto, non niſi acmaſtica poſſet interimere, dicitur igitur acmaſtica, quoniam febrile incendium in dies maior fit, cum id quod reſoluitur ſit minus, quam quòd incenditur; ſicut è contrario, quando id, quod reſoluitur eſt magis, fit paracmaſtica, cum vtrumque eſt æquale, omotonos. Sed dicetis ſymptomata ſequuntur morbum, velut vmbra corpus, ſi igitur acmaſtica ſit ſemper creſcendo, ſimiliter & ſymptomata ſemper vlterius progredientur. ad quod, omiſis multorum inutilibus diſtinctionibus, reſpondeo, axioma illud ſymptoma ſequitur morbum velut vmbra corpus, recipi, quidem non tamquam pronuntiatum vniuerſale, immo potius tamquam ſententiam, quæ multoties fallit, quod à Galeno poteritis addiſcere. Nam ſic ait, *ſæpius affectio, qua laborant, mitior quidem exiſtit, ſed ſymptomata augentur, vt in phlegmone obſceſſis particulis,* *2. aph. 4. cum pus conficitur dolores, & febres fiunt, magis quàm poſtquam confectum eſt, ſæpiùs autem mutuis exultant incrementis decrementiſque ſymptomatum magnitudines, & ea quæ affectionis eſt.*

Gal. 3. acut. conſ. 62.

Tertia doloroſè multum delirauit-- Appellat, vt mea fert ſententia, delirium doloſum querimonias deliras, contingit ægrotantibus, qui mente non conſtant conqueri aſſiduo, nec tamen, ſi interrogentur, rationem quærimoniæ reddere, ſed tamen quæruntur, & grauiſſimum malum eſſe iudico; periјt enim in his iudicium, re-

remanet naturalis inſtinctus , inſtinctu queruntur, judicij defectu non exprimunt, cur querantur.Si verò objiciatis,eos,qui dolorem non ſentiunt mente laborare . reſpondeo , verum eſse , ſed non vicè verſa, hoc eſt, quoties adeſt manifeſta doloris cauſa, ſi æger non conqueratur, id fit ob mentis læſionem.poteſt tamen mentis læſio adeſſe,& æger conqueri, illis magna obliuio facit , vt quærimonias obliuiſcantur , in iſtis applicatio naturæ relinquit quærimonijs locum .

Dolorem quidem ſentiunt etiam delirantes , neque Hippocrates id negaret , quamuis dixit *dolorem non ſentiunt*, ſed non *ſentiunt*, quaſi diceret,non ſentire videntur: quoniam non conqueruntur . Tria in dolore concurrunt , vnum obiectum, alterum ſenſus , in quo fit dolor, tertium potentia, in qua fit doloris cognitio, quam Ariſtoteles phantaſiam , Hippocrates mentem vocat; Iuxta hæc tria tripliciter poteſt ceſsare dolor. Primo ablato obiecto, hoc eſt, curata doloris cauſa , vti quando dolores ex calido frigorificis, aut ex frigido calorificis curamus , aut ſolutionem continui emendamus . Secundo quando deeſt ſenſus,vti in oculo cæci,aut in aure ſurdi,quantumuis validum adſit obiectum,non poteſt fieri ſenſatio, & hoc modo medemur doloribus per narcotica ; quippe ſenſus tactus , in ea parte cui obſtupefactuum remedium adhibemus,ceſsat. Tertio quando potentia, in qua debet fieri cognitio,eſt læſa,& hoc pacto deliri dicuntur dolorem non ſentire . Cæterùm duo hic notate, vnum ex defectu obiecti , aut organi dicitur verè non adeſse dolor , ex defectu poten-

tiæ ,

tiæ, adeſt quidem dolor, non tamen adeſt doloris cognitio. Hinc eſt, quod in prælio vulnerati, aut quouis alio modo non aduertentes, exiguo temporis ſpatio non queruntur de dolore, poſtea in ſe ipſos reuerſi, nulla re denuo adueniente, dolere ſe aiunt. Alterum notatu dignum eſt, non ex omni mentis læſione, nec in omni dolorifico obiecto, doloris priuationem contingere. Nam in potentiæ internæ actione deprauata, cauſa leuis obliuione inuoluitur, ſi verò eundem delirantem fortiter aſtringatis, dolens exclamat. In potentiæ internæ ablata actione, vt in forti apoplexia, nulla omnino ſenſationis apparent ſigna, adeo vt vrantur, neque prorſus moueantur. In actione diminuta, prout magis, aut minus actio eſt diminuta, maiora, aut minora obiecta ſentiunt, videbitis apopleticos, ſi aſtringantur, contrahi, dormientes verò, qui longè leuius habent actiones impeditas, leuiter puncti contrahuntur.

Itaque in dolore eſt ſenſatio, & hæc fit in ſuo organo, eſt cognitio, & hæc fit in potentia interna. ad ſenſationem ſequitur cognitio, niſi adſit impedimentum, quale adeſt in ijs, quibus mens ægrotat, ad cognitionem adeſt querela, quæ ſi cognitio diſtincta ſit, optima cum ratione peragitur, ſin confuſa, non fit cum ratione. Erat Eraſinus mentis confuſione impeditus, quare querebatur ſine ratione, quod Hippocrates ait *dolorosè delirabat*. Cæterùm videor mihi contrarius, qui initio dixi, conqueri delirantem inſtinctu naturæ, nunc dico conqueri cognitione confuſa, at inſtinctus nul-

lam

lam ſupponit cognitionem. Ego vero exiſtimo, nihil aliud eſſe inſtinctum, quam cognitionem confuſam, quam, vt vnaquæque pars corporis habet ad conſeruationem ſui totius, ita vnumquodque indiuiduum ad conſeruationem ſpeciei, & partes, etiam mundi, ad conſeruandum vniuerſum.

Nihil dormiuit, inſomnia, & ratiocinationes -- Duplex videtur inuolui contradictio, vtramque expedio. Prima eſt, ſi nihil dormiuit, quomodo aderant inſomnia, quæ non niſi dormientibus adſunt? Altera, ſi ſomniabat, quomodo ratiocinabatur? Quod attinet ad primam: cum ſomnus ſit quies corporis, & animi, meritò ſomnus ille, qui ταραχώδης, hoc eſt, turbulentus appellatur, quippe aliquando dormiunt furioſi, ſed in ſomno exclamant, proſiliunt, iactantur, ſomnus, vt pote, qui non eſt quies. Vnde rectè dicit non dormiuit ſomniauit: non dormiuit, inquam, quoniam non quieuit, ſomniauit, quoniam non erat vigil. Quod attinet ad ſecundam ſermocinatio, ratiocinatioque in ſomno etiam naturali multis per ſanitatem contingit, quanto magis in ſomno turbulento, qui laborioſam vigiliam potius, quam ſomnum repreſentat.

Circa Solis occaſum mortuus eſt -- Sub finem quintæ diei, cum ſextæ appropinquaret, obijt. Exacerbationes habuit, nunc in diebus paribus, nunc in imparibus: quippe proprium eſt malignorum, nullum ſeruare ordinem. Adeo autem acuta fuit hæc febris, & ſignis ſtipata lethalibus, vt potuerit die quarta occidere, nihilominus tam ad bonum, quàm ad malum criſes ex ſuo die

decretorio, facilè in ſequentem dilabuntur, quod & tarditati lunaris acceſsus, & naturæ innato robori, & remediorum potentiæ attribui poteſt. Ad ſextam, non potuit accedere prę grauitate morbi, & oppreſſione naturæ, neque ſi acceſſiſſet euaderet: nam & ſexta eſt veluti tiyrannus, & prędecentia nihil boni ſperare ſinebant.

Huic febres perpetuo cum ſudore -- Febres dixit in numero plurali, vt hinc magis conuincatur opinio dicentis, fuiſse ſynochum. Fuit febris, quæ plures habuit acceſſiones, non quidem intermittens; nam ſic periculo vacaret, ſed continua proportionalis. Fuit ſemper cum ſudore, ac proinde dicenda eſt febris, quę ab Hippocrate in epidemijs ἱδρώδεες appellatur; & à veteribus dicebatur τυφώδεες & ελώδεις, in quibus ab initio ad finem perpetuò ſudatur, ſudor tamen iſte inutilis eſt, imò pernicioſus, nihil enim ſecum, niſi virium deiectionem, afferre poteſt. Dicitur ἱδρώδεες hoc eſt ſudorifica. Dicitur τυφώδεε quaſi fumoſa, quia in ea multi exhalant fumi, ex quibus concreſcit ſudor, dicitur ελώδεις hoc eſt humida, paluſtris, in hac enim corpus (vt ſic dicam) redditur paluſtre.

Vrinæ nigræ -- Has in progreſſu narrationis crudas appellauit hoc eſt non coctas: quemadmodum enim albę, & aquoſæ crudę ſunt, quia infra coctionem ſubſiſtunt. Sic nigra, quia in coctione non conſiſtunt, ſed materia, quę concoqui debuerat, aduritur. Quod vero addit vltimo loco, circa noctem fuiſse conuulſiones multas cum ſudore, & mentionem tunc particu-

larem

larem ſudoris facit quamuis toto morbo ſudauerit. Hoc indicat, extremum iſtum ſudorem eſſe alterius conditionis à priore: nimirum ſudor frigidus iam qualitate prauus: multum adijcit prauitati, modo excretionis, & loco. modo ſi exitu pigro, veluti miliaris exſudet, loco, ſi tantum capite, & collo. Cæterum quod conuulſiones comitem habuerint ſudorem, nihil deterius poterat euenire: quippe ſudor iſte diaphoreſin, hoc eſt reſolutionem, & conuulſio, virium proſtrationem infert. Duobus autem adeò potentibus virtutis aduerſarijs, quis poterit reſiſtere?

(⁖)

ÆGROTVS NONVS.

CRITONI in Thaſo erecte ambulanti, pedis dolor fortis à magno digito cæpit. Decubuit eadem die horridus, anxius, parùm ſubcaleſcens: nocte deſipuit. Secunda die tumor laxus per totum pedem, & circa malleolum ſub rubens cum diſtentione Puſtulæ nigræ: febris acuta: inſaniјt. Ab aluo verò merà, bilioſa, ſatis multa prodibant. Mortuus eſt altera ab initio die.

Acerbiſſimus hic morbus, & citò interimens nobis exemplo eſse poteſt innati in corpore veneni, cuius mentionem facit Galenus. Poteſt aliquis exiſtimare cum Mercuriali, ex maligno, & peſtilente abſceſſu in pede facto, auram venenatam ad cor fuiſſe tranſmiſſam, cuius vi febricitauit Crito, & velociter fuit mortuus, quod poteſt probari exemplo adoleſcentis, cui è digito pedis aura adſcendens ad caput epilepticos paroxyſmos inducebat. Cœterùm dupliciter accidere potuit iſte abſceſſus in pedem, vel per metaſtaſim, vel per epigeneſim. Per metaſtaſim, tranſmutata materia ab aliquo interno ad pedem, dummodo tamen inde per palindromiam, hoc eſt, per recurſum iterum ad cor reuerteretur. Per epigeneſim autem, hoc eſt, per propagationem, quia, ſcilicet, venenum, in aliquo membro

G.6. loc. affect.

intus

intus latens ſe ſe propagauit, tùm ad pedem, tùm ad cor, & quod quietum prius manens non offendebat, poſtea agitatione periculum, immò interitum inuehexit. Hoc autem eſt proprium abſceſſuum peſtilentium, vt deteriores, cum apparent, reddant febres, quia ſcilicet prius intra corpus venenum cohibitum ſuas vires non admodum prodidit, poſtea, iam ſine fræno agens, deterioris mali eſt cauſa.

Itaque de *ambulanti pedis dolor fortis à magno digito cæpit*. Potuit deambulatio occaſionem præbere huic deſcenſui. Si impurgatus (inquit Hippocrates) laboraueris, vlcera erumpent. cur? nempe, quia exercitio humores ad cutem eudcantur, qui prius erant, quia corpus erat cacochymum, ita etiam venenum, quod prius latebat, occaſione deambulationis, ſe ſe contulit ad pedis digitum.

Fuit *dolor fortis*, locus eſt neruis multis præditus, ac proinde ſenſu exacto. Sed dolorem augebat materiæ malignitas, quæ multum confert ad augendam doloris magnitudinem. Decubuit in primis horridus, tum quia, patientibus neruulis digitis pedis, compatiebatur vniuerſum venoſum genus, tum quoniam humoris concitati motus horrificas febres efficit. Erat inſuper anxius, non vitio ſtomachi, etenim nulla ſimul aderat nauſea, quæ anxietudines è ventriculo ortas ſolet comitari, non ex ſumma debilitate, propter quam æger membrorum pondus ſuſtinere non potens, iactatur, at tanta debilitas nondum aderat, erat ergo anxius propter malignitatem, quæ cor petebat. Erat parùm

ſub-

ſubcaleſcens, quod indicabat oppreſſionem naturæ, propter quam non poterat promptè calorem ad externa effundere.

Nocte deſipuit -- Proprium eſt (vt Fernelius optimè adnotauit) non ſolùm cor, ſed omne etiam princeps, quare venenum iſtum & cor, & cerebrum fuit aggreſſum, in corde oſtenditur ex febre, & anxietudine, in cerebro ex delirio. Altera die creuit tumor per totum pedem, non ita tamen, vt materia decumbens in illam partem deſereret alias nobiliores: erat igitur tumor laxus, hoc eſt ædematoſus, nempe ex feroſitate humoris, cui malignitas maximè imprimitur. Sed quamuis in pede erat ædematoſus, circa malleolum magis inflammatus partem diſtendebat, & ſic diſpar erat in exiguo loco materia; altera ædema, altera inflammationem efficiens, nam, vbi diſtentio aderat, aderat etiam rubor. Cęterùm inflammatio non erat ſimplex, hoc eſt, ex ſanguine benigniſſimo humore, ſed ex ſanguine maligna qualitate infecto, quod cognoſcebatur ex puſtulis nigris, quas poſſumus dicere, fuiſse ex aduſto ſanguine carbunculos.

Ex aduſtione materiæ calor febrilis factus fuit mordax, ac proinde febris magis quam antea acuta, & delirium, quod prius erat duntaxat deſipientia, nunc, propter aduſtionem, conuerſum erat in inſaniam, hoc eſt in furorem vehementem. Aduſtio identidem acutiem materiæ præſtauit, bilioſam diarrhæam ſuſcitauit, ad quæ nihil profecit ad detrudendam materiam ad inferiora, quippe fomes malignus intus latens, remanebat, qui potuit adeo cor grangræ-

na

na quadam inficere, vt ſtatim interiret, ſuſpicor enim, hanc fuiſse hecticam peſtilentem, quæ omnium peſſima eſt: quod enim reperietur remedium vbi cor putredine infectum laborat?

(∴)

FINIS.

AP-

APPROBATIO.

D. Hipolitus Nardus Medicinæ Doctor videat, & referat, ſi in hoc opere reperiatur aliquid, quod fidei Catholicæ, vel bonis moribus aduerſetur. 27. Nouemb. 1654.

Vinc. de Bardis Vic. Gen. Flor.

Doctiſsima hæc in Hipp. Ægrotos Comment. eximij olim Viri Steph. Roderici Caſtrenſis attentè perlegi, nec quicquam Catholicæ fidei, boniſuè moribus aduerſum reperi, immo vtile, & exoptabili, cunctis opuſculum hoc fore cenſui, ſi typis demandetur.

Ego Hippolytus Nardius M. P.

Stante ſupraſcripta relatione imprimat. ſeruatis ſeruandis 30. Ianuarij 1654.

Vinc. de Bardis Vic. Gen. Flor.

D. Anton. Badij Medicinæ Doctor videat diligenter preſens opus, & referat: die prima Februarij 1655.

Fr. Iacobus Cima de Seza Inquiſit. Gener. Flor.

Reuerendiſs. Pater. Accuratè perlegi eruditiſſima hæc Stephani Roderici Caſtrenſis Præceptoris mei commentaria. Quæ ſicut & omnia alia ipſius opera, celeberrima, ac Litteratis omnibus exoptanda exiſtimo. Ideo perutile erit cunctis, vt Typis mandentur.

Ego Antonius Badium M. P.

Attenta ſupradicta relatione. Imprimatur.

Fr. Iacobus Cima Inquiſit. Gener.

Alexander Victorius Senator, Sereniſs. Magni Ducis Audit.

Aq. C
Nitro,

Seminaria,
fructifera,
& fœcundātia.

Wann damit
werden

als / ut ſupr.

extrahit
ſubſtantiæ 14.

V.
imprægnirt
Liquor. 15.

X.
Metallor: 16.
Y.
Animal. 17.
Z.
vegetab. 18. 19.